DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIAE

LIBRI V

Class 281.4 B633 Book
General Theological Seminary Library
Chelsea Square, New York

Purchased from the fund bequeathed to the Seminary by
EUGENE AUGUSTUS HOFFMAN, D. D.
DEAN 1879-1902

DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIAE

Imago e codice saeculi xiii (Biblioth. Monacen.: Clm 2599, fol. 106 v.) desumpta.

ANICI MANLI SEVERINI BOETHI

DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIAE

LIBRI QVINQVE

QVOS DENVO RECOGNOVIT ADNOTATIONIBVS ILLUSTRAVIT
ADIECTIS APPARATV CRITICO BIBLIOGRAPHIA
INDICIBVS BIBLICO ET ALAGERIANO

ADRIANVS A FORTI SCVTO, S.T.D.

PRESBYTER RITVS LATINI

in Collegio S. Edmundi apud Old Hall, Ware,
historiae ecclesiasticae olim Professor

Opus mortuo auctore,
appositis ad mentem ipsius
praeuia dissertatione, appendicibus, indice
generali &c. edendum curauit

GEORGIVS D. SMITH

S.T.D.

in eodem collegio theologiae
dogmaticae Professor

LONDINII

BURNS OATES & WASHBOURNE LTD

MCMXXV

WINIFRIDAE A FORTI SCVTO
ADRIANVS
D. D. D.

B633

MADE AND PRINTED IN GREAT BRITAIN

RECTE quidem rerum scriptores, dum de modo tractant quo humanum genus per succedentes inuicem decurrit aetates, adnotant non iam per saltus sed gradatim id fieri, sicut infans ad iuuentutem, ad aetatem uirilem iuuenis, uir ad senectutem tandem paullatim deuenit, et quidem ita ut aetates quaedam habeantur interpositae, ubi num puer an iuuenis, iuuenis an senex uere quis denominandus sit, haud facile aestimaueris. Neque secus reputanti in animo res gestas humani generis obuersantur tempora illa, immo et homines, qui, cum notas prae se ferant tum praecedentis tum subsequentis aetatis proprias, ad utramque quodammodo pertinere uidentur.

Huiusmodi ANICIVM MANLIVM SEVERINVM BOETHIVM fuisse constat, qui eo circiter anno (476) natus est quo Odoacer Ostrogothorum dux partem occidentalem imperii romani iampridem nutantem penitus euertit, depulso Augustulo, regno Italiae ipse potitus. Artibus nempe romanis succedebat barbaries, populo romano, qui, dum summo uigebat robore, totum orbem suo subiecerat imperio, iam autem senescente uirtute languebat, homines inculti dominabantur.

Sed in tanta antiqui cultus atque humanitatis ruina elementa quaedam remanebant, quae accurate asseruata ad artes de integro excolendas inseruirent. Iamuero inter eos qui antiquorum sapientiae reliquias diligenter collectas ad posteros transmisere, principem certe obtinuit locum Boethius, ultimus Romanorum, Scholasticorum primus, qui hoc praesertim *De Consolatione Philosophiae* aureo libello, quaecumque ab antiquis optime dicta essent, ipse quum animo perscrutatus christiano emendasset, immo et proprio ampliasset ingenio, posteris legenda atque pertractanda, uno quasi hortulo collocauit.

Itaque, his nostris temporibus, uir amplissimis studiis ornatus Adrianus a Forti Scuto, cum libellum hunc tantopere a patribus aestimatum hodie sordere aegre ferret—Boethio enim, ut opinor, ipsum conciliauerat poeta quem semper in manibus habebat Alagerius, eius philosophiae haud uno loco obnoxius—ideo sibi proposuit ut quocumque posset modo libellum hunc eiusque auctorem colendum ab omnibus amandumque curaret. Quod ut melius adsequeretur hanc nouam parabat librorum *De*

Consolatione Philosophiae editionem, qua quam plurima adiumenta, unde maior posset legentibus prouenire utilitas, praesto sisterentur.

Sed tantam rem iam molienti, in qua tot ante insudarant auctores praeclari, illud imprimis difficile est uisum, non tam quid dicendum, quam quid silendum esset, diiudicare atque statuere. Vnde factum est ut plura, quae alias quidem ob causas maximi sunt momenti, ad praesentem autem rem non pertinent, tacuerit auctor, hoc praesertim praestituto sibi fine, ut quis inter philosophos Boethio competat locus planum redderet atque manifestum. Textui igitur supponuntur hinc quidem praecipui unde hausta uidentur Boethii dogmata philosophici fontes, inde uero subsequentium loci auctorum, et praesertim diuini illius poetae, quos a Boethio depromptos esse constat; ita sane ut partes illae quas antiquam inter et mediam aetatem Boethius obtinet, quamuis cursim legenti non lateant.

Opus tamen iam paene completum ne ad finem usque perduceret mors prohibuit heu intempestiua.

Virum quidem desideratum laudibus ornare, tantam celebrare scientiam mira quadam cum animi bonitate coniunctam, studium praesertim illud religionis ardentissimum commemorare, quantum demum ex eius obitu Ecclesia detrimentum, dolorem amici acceperint declarare huius sane non est loci. Illud saltem omnibus erit dolendum, opus in quo totam posuerat auctor animi diligentiam, aliena manu ad finem esse redactum.

Mihi igitur munus obtigit, iucundum quidem propter tanti uiri amicitiam, sed ob rei difficultatem satis arduum, opus hoc ad exitum ita deducendi, ut nec uitiatus, si de meo nimis adiicerem, nec si parum, mancus euaderet liber et imperfectus. Quare ne mihi laus, auctori uituperatio praeter meritum obueniat, quid ipsi, mihi uero quantillum tribuas oporteat statim est dicendum.

Textum ergo imprimis ita recognouit ipse auctor ut editioni Rudolfi Peiper notissimae illas praesertim adhiberet emendationes quas Augustus Engelbrecht[1], e manuscriptorum collationibus siue ab ipso Peiper, siue a Georgio Schepss, siue demum a seipso factis, recipiendas reuera esse demonstrauit. Varias

[1] *Die Consolatio Philosophiae des Boethius* (Wien, 1902). Vid. Bibliogr. p. 194.

praeterea lectiones tantummodo adposuit eas, ubi praecipuae quae hucusque habitae sunt, Vallini scilicet, Obbarii, Rudolfi Peiper editiones ab hac nostra discrepant.

Auctoris pariter sunt adnotationes omnes—et in his praecipue situm esse dixerim editionis huius pretium atque momentum —quibus superstes adhuc textum usque ad lib. v, pr. 6, § 7 totum instruxerat; ceterae uero e notis manu scriptis depromi sat facile potuerunt.

Sed ad haec, in commentariis reliquit auctor siluam quamdam rerum ad Boethium pertinentium, unde componere in animo habebat praeuiam dissertationem, qua quaestiones tractarentur boethianae, et praesertim, uti aiebat ipse, "illa de religione eius christiana impie a quibusdam negata, hic uero luculenter demonstrata." Quamobrem, ne tanta eruditionis copia in cassum ire uideretur, tum dissertationem praeuiam, tum etiam appendices I et II e materia ab auctore comparata ego, ut poteram, contexui, id unum spectans ut quantum fieri posset uera auctoris atque germana exponeretur sententia. Quare si quid ibi perperam, si quid inepte dictum esse uidebitur, id non auctori, quasi errauerit ipse, sed mihi quod male exposuerim, candide lector, uelim attribuas.

Sin autem, quod sperare utinam liceret, operi quae addidi non offuere—tum neque ego perdidero operam, nec frustra uiri illi—VV.DD. Ioannem Vance, Ronaldum Knox, Alfredum Herbert gratus commemoro—qui quae in quolibet doctrinae genere sua sunt, ea mihi tamquam mea adhibenda beneuole permisere, tot mihi pretiosa adiumenta praestiterint. Quae quidem omnia auctori prosint in salutem et praemium, ipsi Philosopho fiant in obsequium, Deo denique Optimo Maximo in honorem atque gloriam sempiternam.

Scribebam e Collegio S. Edmundi mense martio, anno MCMXXIV, saeculo uidelicet iam quarto decimo exeunte a morte gloriosa Philosophi nostri.

GEORGIVS D. SMITH

CONTINENTVR IN HOC LIBRO

Praefatio Editoris *pagina* v

Dissertatio Praeuia

Cap. I. De Vita Boethi xi

Cap. II. De Religione Boethi xxv

TEXTVS cum adnotationibus

Liber primus

qui continet metra 7, prosas 6 1

Liber secundus

qui continet prosas 8, metra 8 28

Liber tertius

qui continet prosas 12, metra 12 60

Liber quartus

qui continet prosas 7, metra 7 102

Liber quintus

qui continet prosas 6, metra 5 137

Appendix I. De Prouidentia et Fato 165

Appendix II. De mundo perpetuo 169

Appendix III. Praecipua quae de Boethio habentur testimonia 173

Appendix IV. Bibliographia Boethiana

(i) Ipsae bibliographiae 188

(ii) De Vita Boethi 188

(iii) De Religione Boethi 191

(iv) Editiones praecipuae huius operis et commentarii 192

(v) De compositione huius operis 194

(vi) De eiusdem philosophia 195

(vii) Versiones huius operis 195

(viii) De iis qui hoc opus imitati sunt 199

INDEX Alagerianus 201

Biblicus 204

Siglorum 206

Auctorum 207

Rerum Memorabilium 210

Imago Boethi *a fronte tituli*

ix

DISSERTATIO PRAEVIA

CAPVT I

De Vita Boethi

ANICIVS MANLIVS SEVERINVS BOETHIVS auctor nuncupatur noster. Praeclarum sane nomen, sicut praeclara opera, praeclara uita eius.

Gente igitur fuit Anicia quae, origine praenestina[1], quarto et quinto praesertim saeculis adeo nobilitate et diuitiis excellebat ut tanquam prima in orbe romano ab Hieronimo[2] laudaretur, et opes eius, teste Cassiodoro[3], in prouerbio iam essent.

Praenomen "Boethius" alii aliter scribunt. Nonnulli enim codices "Boetius" habent, Procopius "Βοέτιος" scribit. Melius tamen uidetur, analogia facta cum nomine "Βοηθός" (ex radice "*βοηθεῖν*") inter Graecos sat communi[4], hunc scribendi modum retinere. Manlius uocatur a Manliis Torquatis qui tempore reipublicae uigebant, quamuis nexus cum eis nonnisi incertus institui possit[5]. Nomen tandem "Seuerinus" ab illo sumpsisse uidetur Seuerino eremita qui (453–482) Noricum et Rhaetiam regebat[6].

Romae natus fertur anno circiter 475, utrum uero paullo ante an postea nullo certo argumento conuincitur[7].

Pater nostri fuit Aurelius Manlius Boethius, anno 487 sub Odoacre rege consul et uir patricius[8], qui et ipse fortasse filius erat illius Boethi quem Valentinianus III anno 452 occidi iussit[9].

[1] Ita B. G. Niebuhr, *Vorträge über römische Alterthümer* (= *Historische u. philologische Vorträge an der Universität zu Bonn gehalten*, IV Abth., ed. M. Isler, Berlin, 1858), p. 159.

[2] *Ad Demetriadem de seruanda uirginitate*, Ep. CXXX (P.L. XXII 1107). Cf. et Murari, p. 6.

[3] Cass. *Var.* X, 11. Eiusdem gentis fuisse et S. Benedictum Nursium nostro aetate aequalem nonnulli asserunt. Cf. *Acta SS.* Martii III, 275 E.

[4] Ita e.g. Boethus, philosophus peripateticus, saec. I ante Christum (est Boethus sidonensis de quo Ueberweg, I, 572). Alter Boethus sidonensis, stoicus saec. II a. Chr. (ib. 436). Adhuc tertius B. platonista ob. c. 120 a. Chr. (ib. 696). Cf. Usener, *Anecdoton Holderi*, pp. 43–44.

[5] Hodgkin, III, 523.

[6] De quo uid. J. Sandys, *Hist. of Classical Scholarship*, I, 251, et J. Bury, *History of the Later Roman Empire*, I, 285–289.

[7] Cf. Nitzsch, pp. 6–7. Iuxta Semeria (pp. 12–13) inter 474 et 483; Murari (p. 11) putat c. 475, at potius ante; Hodgkin (III, 522) 480 uel mox post. Ita et Hartmann in Pauly-Wissowa, 596.

[8] Usener, *An. Hold.* p. 37; Tiraboschi, III, 41; Semeria, p. 13. Concilium romanum III (de lapsis ecclesiae africanae) habitum est anno 487, "Flauio Boetio V. C. consule" (Mansi, VII, 117).

[9] Gibbon, III, 504; Hodgkin, III, 523.

Patrem uero mox obiisse testis est ipse Boethius qui se "parente desolatum uirorum summorum curae" commissum fuisse affirmat[1]. Boethium igitur adhuc puerum susceperunt uiri senatores Symmachus et Faustus[2], quorum sub tutela tantum profecit ut uir suae aetatis omnium eruditissimus mox exstaret.

De Fausto non nisi pauca accepimus. Fuit consul anno 483 et cum Symmacho et Ennodio[3], Boethii cognatis, inter illos qui contra antipapam Laurentium (498) Symmacho fauebant papae legitimo, adnumeratur[4]. De Symmacho[5] ex epistolis praesertim Cassiodori et Ennodii plura edocemur. Fuit nempe Q. Aurelius Memmius Symmachus e gente Anicia Boethio nostro cognatus, illo oriundus Symmacho oratore qui anno 391, imperatore Theodosio I, consul fuerat. Consul fuit et Symmachus noster anno 485 solus sine collega[6], sub Theodorico rege urbi praefectus, anno 524 princeps senatus. Exstitit porro sub Theodorico rege ariano strenuus religionis catholicae propugnator.

Quam uehementi in Boethium hic arserit affectu ex eo colligi licet quod illi dederit in sponsam Rusticianam filiam, de qua is ipse (*C. Ph.* II, pr. 4) "Vxor," ait, "ingenio modesta, pudicitiae pudore praecellens, et ut omnes dotes eius breuiter includam, patri similis." Mythus uero ille de Elpide uel Helpide uxore quadam priore ab omnibus fere nunc relinquitur[7].

Filii nati sunt ei duo, Symmachus scilicet et Boethius, qui adhuc pueri, ut honor patri daretur, consules facti sunt[8].

[1] *C. Phil.* II, pr. 3, § 4. Vide omnino adnotationes ad locum; infra, pp. 34–35.

[2] Exstat epistola Auiti ad Faustum et Symmachum senatores. (*Alcimi Ecdicii Auiti Op.* ed. R. Peiper, Ep. 34; MGH. auct. ant. tom. VI, pars 2, Berol. 1883, pp. 64–65.)

[3] Ennodius cognatus Boethio. Cf. eiusdem ep. ad Bo. (ep. VII, 13; P.L. LXIII, 120 A; CSEL. uol. VI, p. 181; MGH. auct. ant. tom. VII, p. 236). "Praesumo me dicere parentem." Cf. eiusdem ep. VIII, 1. De Ennodio uid. et infra, p. 173.

[4] Cf. Murari, p. 15, in nota.

[5] De Symmacho uid. et infra, p. 34, n. 4.

[6] *Acta SS.* Maii VI, 697 A; Cass. *Var.* II, 14.

[7] Cf. Obbarium, pp. xii–xiii, n. 16, ubi exponit eius originem. Vid. et adnot. ad l.c. *C. Phil.* infra, p. 35.

[8] Errat Baronius (ad ann. 526, num. XV), putando ideo filios uocari consulares (*C. Phil.* II, pr. 4, § 6) quod pater consul fuerit, "sicut etiam (ait) dicere consueuerunt uxorem consulis feminam consularem." Quem errorem iam Pagius correxit (in adnot. ad l.c. Baronii). Reipsa (*C. Phil.* II, pr. 3, § 6) filii uocantur consules: "duos pariter consules liberos tuos." Cf. infra, p. 35. Putauerunt nonnulli Boethio fuisse alios duos filios, Hypatium et Patritium,

Iam a tenera aetate amplissimis se dedit disciplinis, sed praesertim Graecorum philosophiae, quam nutricem adpellat[1], "cuius ab adolescentia laribus obuersatus fuerat," quam exsul demum consolatricem adiit. Quae ut sibi tam cara disciplina et conciuibus nota magis fieret, illud propositum habuit ut omnia Platonis et Aristotelis, quos magistros colebat, opera latine redderet. "Ego" ait[2] "omne Aristotelis opus quodcumque in manus uenerit in romanum stylum uertens, eorum omnium commenta latina oratione perscribam..."; et infra: "omnesque Platonis dialogos uertendo, uel etiam commentando in latinam redigam formam." Cuius philosophiae principia quomodo ad dogmata religionis christianae exponenda atque contra haereticos defendenda adhibuerit, infra dicetur[3].

Fuere qui auctoritate freti operis "De disciplina scholarium," quod Boethi non esse nunc constat, auctorem nostrum Athenas studiorum causa profectum esse assererent[4], quam tamen sententiam iam omnes fere reiiciunt.

Mirum admodum fuisset si iuuenis genere tam nobilis, tam insignis ingenio Theodoricum regem latuisset. Et sane ex iis quae refert Cassiodorus[5] patet Theodoricum iam ab anno circiter 496 Boethi scientia immo aliquatenus consuetudine usum fuisse. Nam Boethio arte musica peritissimo, cum Clodoueus francorum rex citharoedum a Theodorico expetiisset, eundem eligendi munus committitur. Boethio mathematica arte insigni praecipit rex ut horologia Burgundionum regi danda construat. Boethio praeterea, conquerentibus domesticis palatii se non integri ponderis solidos ab arcario praefectorum percipere, mandatum defertur ut quid iustum sit constituat.

quos de Elpide habuisset. Erant autem hi consules in oriente. Cf. Procopius, *de bello Pers.* I, 8 (CSH. Byz. I, p. 49; ed. Haury, Tb.) et Theophanes, *Chron.* ad ann. 497 (ed. Niebuhr, p. 224). Hypatius filius erat Secundini et (Magnae) sororis Anastasii Aug. Patritius erat phryx. Ita Muratori, *Annali d' Italia*, III, p. 245, ad ann. 500.

[1] *C. Phil.* I, pr. 3, § 1; infra, p. 8.

[2] *Lib. de Interpret. ed. sec.* lib. 2 (initio), P.L. LXIV, 433 C–D.

[3] In cap. 2 huius dissertationis, ubi de religione Boethi; infra, pp. xxvii–xxviii; xxxiv.

[4] Plura nomina citat Murari (p. 14). Recentius et auctor art. "Boèce" in *Dictionnaire de Théol. Cath.* (Vacant-Mangenot) eundem recoxit errorem. Refutationem uide apud Murari (l.c.) et Obbarium, p. x, n. 8. De opere "De disciplina scholarium," uide infra, p. xxxii, n. 3. Cf. infra, p. 174 n.

[5] *Var.* II, 40 (c. ann. 496 iuxta Murari, p. 19); *Var.* I, 45 (c. 506; ita Semeria, p. 15); *Var.* I, 10 (c. 507–511, iuxta Mommsen, MGH. auct. ant. t. XII, pp. 18–20).

Inde Boethio nostro facilis ad honores aditus, immo summi capessendi magistratus mox data occasio. Etenim anno 510 relatus est consul solus sine collega[1], et eodem forte tempore comes fuit sacrarum largitionum[2]. Summus demum accedit honor Boethio anno 522 dum filios suos consules uidet, et ipse munus suscipit magistratus officiorum[3]; qua etiam die Theodoricum regem in senatu "luculenta oratione" laudauit[4].

Quae munera sicut non iam gloriae causa sed ne obtingerent iniquis susceperat[5], ita nec gratiam quaerendo administrabat. Sed iustum iniquorum in se inuidiam facile excitare notum est. Et quidem tria narrat ipse Boethius[6] quibus inimicos sibi comparauit.

Nam imprimis coemptionem[7] impediuerat praefecti praetorii, quippe quae famis tempore indicta "profligatura inopia Campaniam prouinciam uideretur." Qua in re sustinente rege aduersarios uicit. Paulinum insuper uirum consularem contra hostes in aula regia defendit. Conigasto tandem et Triguillae Gothis rapacibus ne miseros auaritia opprimerent, maxima sui periculi securitate obstabat[8].

Vno uerbo "nunquam ipsum a iure ad iniuriam quisquam detraxit[9]." Hinc aulicorum et praesertim Gothorum in Boethium infensus animus, hinc malorum initium. Sed ut melius intellegatur qua ratione qui ad honorum summum ueluti fastigium uelocissimo cursu peruenerat, praeceps, ut ita dicam, mox ruerit, de reipublicae temporibus nonnulla dicamus necesse est.

[1] Muratori, *Annali d'Italia*, III, p. 270.

[2] Vnde et "patricio" titulo potitus. Hartmann tamen (in Pauly-Wissowa, V, 596) dicit B. iam 507 patricium. Vid. Cass. *Var.* VI, 7.

[3] Iuxta Hodgkin (III, 534) Bo. magister fuit officiorum 1 Sept. 522. R. Cessi (*Anon. Vales.* p. CXXXIX) putat potius anno 524, quo tempore Cyprianus referendarius fuit, quaestor Decoratus.

Quid agere debeat magister officiorum uideas in "formula magisteriae dignitatis"; Cass. *Var.* VI, 6.

De consulatu filiorum uide supr. p. XII, n. 8.

[4] Cf. *C. Phil.* II, pr. 3, § 6 et adnot. infra, p. 35. Vid. et *Anecd. Hold.* infra, p. 175.

[5] Cf. *C. Phil.* I, pr. 4, § 4. Ita Platonem secutus (*Rep.* V, 473 C–D). Cf. adnot. ad l.c. infra, p. 12.

[6] *C. Phil.* I, pr. 4, §§ 7–10. Infra, pp. 12–13.

[7] De coemptione uid. Cass. *Var.* V, 13; VII, 22; X, 18; II, 38; XII, 14. Vid. etiam adnot. ad l.c. *C. Phil.*, infra, p. 13.

[8] De Paulino, Conigasto, Triguilla uid. adnot. ad l.c. infra, pp. 12–13.

[9] *C. Phil.* I, pr. 4, § 8.

Theodoricus qui anno 493 deuicto Odoacre et interfecto, regno Italiae potitus erat, miti quodam et iusto imperio omnium sibi gratiam conciliauerat. Romanis autem illud praesertim perplacebat quod eorum leges et instituta sarta tecta seruare studeret. Officia publica eaque praecipua Romanis deferre, nihil inconsulto senatu moliri, imperatorem orientalem saltem specie tenus agnoscere, consiliarios adhibere Romanos solebat; barbarus denique ciuilitatem romanam uere fecit suam. Arianus quidem fuit sicut et Gothorum plerique, sed Romanos, qui fidem Nicaenam integram seruabant, religionis causa numquam insectabatur. Vnde per triginta annos plena inter ciues concordia, magna tranquillitas[1].

Anno tamen circiter 523 animum in Romanos mutare incepisse uidetur, hac praesertim de causa quod timeret ne Romani, imperatori Iustino I religionis uinculo iam strictius ligati, Gothorum regno pericula intenderent. Nam schismati Acaciano fine per unionem Hormisdae[2] imposito, catholicus iam fuit imperator, catholici et aulici eius. Vnde minime mirum est Catholicos italos, qui suprema imperatoris iura ratione saltem semper agnouerant, de concordia magis firmanda iam cogitasse.

Iamuero inter illos qui Iustino fauebant imperatori eminebat senatus romanus, "amicorum" ille "coetus honestissimorum" (de quo cf. *C. Ph.* 1, pr. 4, § 27), quorum dux erat Symmachus cui Boethius intime adhaerebat[3]. Inde in dies crescebat Theodoricum inter et Romanos dissidium, eo uel magis quod anno 524 Iustinus in oriente Arianos, ecclesias auferendo, pellendo haereticos, consectari inceperit[4].

Talia igitur inciderant tempora ubi anno 523 Albinus senator,

[1] De Theodorici ingenio et moribus uide praesertim Hodgkin (III, cap. viii et xi).

[2] Peracta est haec unio opera Papae Hormisdae et Iustini I imperatoris, anno 519.

[3] Cf. Cessi, *Anon. Vales.* p. cliii.

[4] Incepta a Iustino imperatore Arianorum orientalium persecutione, Theodoricus anno 525 misit Ioannem Papam I (523–526) cum quattuor aliis episcopis et quattuor senatoribus Constantinopolim qui duo exigerent: (i) ut Arianorum ecclesiae restituerentur, (ii) ut Gothis illis qui facti erant Catholici ad arianismum redire liceret.

Primum quidem Papa a Iustino obtinuit; alterum nec obtinuit, nec petiit. Pontifex magno honore Cp. susceptus est. Marcellinus Comes, qui tempore Iustiniani imperatoris Chronicum scripsit usque ad ann. 534 (MGH. auct. ant. XI; ed. Th. Mommsen, Berol. 1894, ad ann. 525), rem ita narrat: "Ioannes romanae ecclesiae papa...solus dumtaxat romanorum sibi deces-

uir consularis et patricius, regi delatus est a Cypriano referendario, quod consilium cum Graecis de Theodorico tradendo iniisset. Rem ita narrat Anonymus Valesianus[1]: "Cyprianus qui tunc referendarius erat, postea comes sacrarum et magister, actus cupiditate insinuans de Albino patricio, eo quod litteras aduersus regnum eius imperatori Iustino misisset, quod factum dum reuocitus[2] negaret, tunc Boethius patricius qui magister officiorum erat in conspectu regis dixit: Falsa est insinuatio Cypriani; sed si Albinus fecit, et ego et cunctus senatus uno consilio fecimus. Falsum est domine rex." Et reuera adducto in crimen quouis senatore, ius erat Boethio, immo et officium tanquam magistro officiorum eundem defendendi, cum "onus omnium" ipse sustineret[3], et iam praesertim quia propter eminentem locum Albini[4] eiusque in senatu auctoritatem, totus ille ordo per hanc delationem in periculum ducebatur[5]. Intrepidus igitur coram aula regia, quae Veronae[6] tunc habebatur, insontem protestatur Albinum, immo fidem totius senatus et suam, quippe quae minime suspecta habeatur, testem prouocat.

Deinde Cyprianus "haesitans[7]," ut ait praedictus Anonymus, accusauit et Boethium, tria afferendo, quod nempe senatum

sorum urbe digressus Constantinopolim uenit. Miro honore susceptus est. Dexter dextrum ecclesiae insedit solium diemque domini nostri resurrectionis plena uoce romanis precibus celebrauit." Ibi deinde Iustinum coronauit (ita *Lib. Pont.* ed. Duchesne, I, p. 275). Inde maxime iratus Theodoricus omnes legatos Rauennam (526) regressos incarcerari iussit. Ita saltem *Lib. Pont.* (l.c.). Immerito, ut uidetur, Pfeilschifter (*Der Ostengotenkönig Theodorich der Grosse*, Münster, 1896, pp. 197–201) negat incarceratum fuisse Ioannem. Fateor equidem hoc explicite non dici ab *Anon. Vales.*; dicit enim Papam "cum dolo" susceptum a rege, qui "in offensa sua eum esse iubet. Qui post paucos dies defunctus est." Quae tamen uerba tum cum iis quae habet *Lib. Pont.* ("in custodia adflictus, deficiens moreretur"), tum etiam cum traditione rauennate (uid. *Lib. Pont. Eccl. Rauenn.* infra, pp. 178–9) optime componi uidentur. Affirmant inter recentiores Hodgkin (III, 515), J. Bury (*Later Roman Empire*, 1923 ed., II, 157), alii. Obiit Papa 18 maii, 526. Sed haec omnia mortuo Boethio (ob. 23 Oct. 524) acta sunt.

[1] Vid. p. 177. Cf. et *C. Phil.* I, pr. 4, § 10; Cessi, p. cxlviii.

[2] Papebrochius (*Acta SS.* Maii VI, 698 A): "fortasse 'reus accitus.'"

[3] Ita in "formula magisteriae dignitatis" (Cass. *Var.* VI, 6), "Ipse sustinet onus omnium."

[4] De Albino uid. infra, p. 13, n. 10.

[5] *C. Phil.* I, pr. 4, §§ 10, 15. Cf. Murari, p. 42. [6] *C. Phil.* I, pr. 4, § 20.

[7] Inde deducit Hodgkin (III, 545) Cyprianum inuitum Boethio crimen obiecisse. Stewart e contra (p. 46) qui Cypriano in hac re minus fauet, putat satis illud explicari quod haesitauerit, ex eo quod Boethius non parua gauderet auctoritate. Utram in partem sit dirimenda haec quaestio ex iis patefiet quae de Cypriano dicturi sumus. Cf. *Anon. Vales.* infra, p. 177.

uellet saluum, quod litteras, quibus regno Gothorum insidiae pararentur, ad imperatorem et ipse misisset, quod artes denique magicas exerceret[1].

Quanti momenti sit, ad hoc ut de re gesta recta feratur sententia, non unum aliudue factum sed totum rerum personarumque ueluti complexum considerare riteque perpendere, nemo est quin uideat. Idcirco ad quaestionem istam, de qua permultum adhuc disputatur, pro uiribus illustrandam, operae pretium fore ducimus si cum de illis qui in Boethium crimina detulerunt, tum etiam de ipsorum criminum genere aliqua disseramus.

Primus igitur inter Boethi delatores eminet Cyprianus referendarius. Pater huic Opilio fuit, qui Odoacri regi seruiuerat[2]. Romanus ergo fuit Cyprianus, sed Gothis uehementer fauens, quod ex eo elucet quod filios suos ad modum Gothorum educare non dubitauit[3]. De Theodorico rege domi militiaeque optime meritus, maxima apud ipsum gratia uigebat. In exercitu enim Gothorum aduersus Gepidos Bulgarosque in Pannonia (504–505) magna cum laude militia functus[4] plura deinde munera ciuilia non minus feliciter peregit. Eo de quo agimus tempore officio fungebatur referendarii, ad quod pertinebat litigantium in iudicio causas regi narrare[5]. Quod munus quam bene exsecutus fuerit testis est nobis Cassiodorus[6]: "Ori tuo" ait "altercantium desideria conuenerunt; et quod difficillimum gratiae genus est, alternae parti indiscreta laude placuisti." Haud multo ante legatus missus erat Constantinopolim, ubi teste eodem Cassiodoro[7], nec Graecia "quod nouum ostentaret inuenit; nec ipsa, qua nimium praeualet, eum transcendit argutia." Ex qua legatione accusationem Albini ortam esse nonnulli autumant[8].

Iamuero de animo Cypriani crimen Boethio deferentis acerrime disputatum est[9]. Nam sicut Boethius in hoc libro delatores, seipsum defendendo, denuntiat[10], ita e contra Cyprianus apud

[1] Sic *C. Phil.* I, pr. 4, §§ 15, 17, 25. [2] Cass. *Var.* V, 41.
[3] Cass. *Var.* VIII, 21: "Pueri stirpis romanae nostra lingua loquuntur, eximie indicantes exhibere se nobis futuram fidem, quorum iam uidentur affectasse sermonem."
[4] Ibid. [5] Cass. *Var.* VI, 17, "Formula referendariorum."
[6] Cass. *Var.* V, 40. [7] Ibid. [8] Ita Stewart (p. 43).
[9] Vide e.g. Stewart (pp. 44–46), Semeria (pp. 39–41), Hodgkin (III, 544–545).
[10] *C. Phil.* I, pr. 4, §§ 12–14.

Cassiodorum, qui nomine loquitur Theodorici regis, maximis laudibus effertur[1].

Neminem in causa sua iudicem esse adhibendum probe utique nouimus, sed nec quemquam, nisi demonstratum sit, mendacem conuinci decet[2]. Nunc uero Cyprianum quisnam laudat? Laudat Cassiodorus, laudat igitur per quaestorem Theodoricus rex ob fidem quam sibi praestat, laudat quod ingenio uersatili utramque causam, siue rei siue arguentis in iudicio, ueritatis specie induere ualeat, quod et Graecos astutia superauerit. Quae omnia profecto ostendunt patricium istum romanum toto ingenio ac uiribus id contendisse ut Gothorum regi utilitatem adferret, sed eiusmodi illum fuisse a quo obtrectatio inuidiaque aliena omnino essent, certo saltem non demonstrant[3].

Quod uero ipsum spectat Cassiodorum, laudes eius quanti sint faciendae, qui uel unam ex eius legerit epistolis nimis ample honorificeque scriptis, recte aestimare poterit[4].

Cum Cypriano nominantur Boethi delatores et Opilio, Basilius, Gaudentius. Opilio frater fuit Cypriani, qui cum ipso saepius a Cassiodoro laudatur, et cum fratre ad maiora semper munera, defuncto Boethio, prouectus esse uidetur[5].

[1] Cass. *Var.* VIII, 16, 17, 21, 22; V, 40, 41. Cf. Hodgkin, III, 543–545. Ep. V, 40 et 41 scriptae sunt anno 524 (MGH. XII, 166–168).

[2] Nec praeter rem heic uidentur quae habet Tullius (Cic. *Pro Sulla* XXV, initio—Cic. *Orationes*, ed. G. Long, *Bib. Class.* Lond., 1856, vol. 3, p. 193): "Omnibus in rebus, iudices, quae grauiores maioresque sunt, quid quisque uoluerit, cogitarit, admiserit, non ex crimine, sed ex moribus eius qui arguitur est ponderandum; neque enim potest quisquam nostrum subito fingi, neque cuiusquam repente uita mutari, aut natura conuerti."

[3] Ita fere Stewart (pp. 44–45).

[4] De Cassiodoro uide Mommsen: in Praefatione ad *Variae*, p. XXIII (ed. supra cit.); Semeria, pp. 39–41. Iuxta Semeria, minus critice in hac re loquitur Stewart (l.c.) dum dicit Cassiodorum solam astutiam laudare in Cypriano. Non tantum in *Var.* V, 40, sed et alibi et aliis de causis laudat (uid. supra, n. 1). Has ipsas laudes concipit Semeria per modum apologiae cuiusdam pro Cypriano, qua Cassiodorus siue proprio, siue regis nomine Cyprianum defendit, quod nonnisi ex fide erga Gothorum regem Boethium accusauerit. Immo de ipso flagitio Boethi uidetur loqui Cass. ubi scribens senatui gentis Aniciae laudem ait: "familia toto orbe praedicata, quae uere dicitur nobilis *quando ab ea actionis probitas non recedit*" (*Var.* X, 12—ann. 535).

Mihi equidem uidetur ratio Stewart non tam falsa quam incompleta. Fuit uersutus Cyprianus, fuit et Gothorum fautor (cf. supra, p. XVII). Inde cur Romanorum ultimum accusauerit facile colligitur, cur eum Cass. laudet, euidenter patet, illum a Boethio non immerito increpari satis liquet.

[5] Cf. Cass. *Var.* VIII, 16, 17. Fuit comes sacrarum anno 527. Cf. et Semeria (p. 39) et Stewart (p. 46). Recte, ut uidetur, inde Semeria (l.c.) "Is fecit cui profuit."

His intime coniunctus fuit et Basilius, cuius cognatam Opilio uxorem duxerat[1]. De Gaudentio illo secus nil scimus.

Iamuero de his omnibus asseuerat Boethius nonnisi inuidia et gloriae cupiditate motos crimen sibi intulisse, immo Basilium "aeris alieni necessitate" ad hoc fuisse pulsum, Opilio uero et Gaudentius ut Rauenna urbe pellerentur iam a rege fuisse edictum[2]. Num Boethius mentitur an isti? Quidquid sit, hoc saltem concedendum, si Boethio, quod se defendat, ideo fides neganda, nec arguentibus, quod a Gothis uel a Gothorum fautoribus laudentur, fidem ideo praestandam[3].

Sed de criminibus ipsis quid sit sentiendum uideamus. Et imprimis senatum saluum se uoluisse ne ipse quidem negat; potius etiam atque etiam affirmat, quippe qui in illo ordine, si qua reliqua spes libertatis esset romanae, positam eam esse uideret[4]. Quod litteras attinet, quas ad imperatorem misisse dicitur, falsatas has contendit Boethius[5]. Verisimillimum quidem est ipsum epistolam aliquam qua fidem erga imperatorem, uti fas erat, testaretur, necnon de dominantibus in Italia Gothis doleret, ad Iustinum misisse[6], eamque ab inimico postea mutatam esse[7].

[1] *Var.* VIII, 17: "His laudibus electus a coniuge basilianae sociatus fertur esse familiae." De his omnibus cf. et infra, p. 14, n. 11 seq.

[2] *C. Phil.* I, pr. 4, §§ 10–14; infra, pp. 13–14.

[3] Aliter omnino in hac re argumentatur cl. Hodgkin (III, 543–548) qui fere sic: Quos Boethius sese defendendo uehementer denuntiat, illos laudat Cassiodorus. Ita Cyprianus praesertim et Opilio sunt uiri optimi omnino (ib.). Et Decoratus (cf. infra, p. 68) quem B. uocat "scurram et delatorem" (*C. Phil.* III, pr. 4, § 4) apud Cass. et Ennodium uir apparet multa uirtute praeditus. Inde concludit Boethium esse "passionate and ungenerous...in short, an impracticable colleague, and, with all his honourable aspirations, an unscrupulous enemy" (ib. pp. 547–548).

Sed haec, pace tanti uiri, minus apte concludi uidentur. Pro Cypriano et Opilione nil affert cl. auctor nisi laudes Cassiodori, illius nempe qui adulationem ita promiscue distribuebat ut tum Amalasuntham tum etiam Theodohathum, qui eam interfecerat, sine discrimine laudibus extulerit (Mommsen, Praef. ad *Var.* l.c. supra, p. xviii, n. 4). Porro praecipua Cypriani et Opilionis laus est eos fidem erga Gothorum regem seruasse (cf. Hodgkin, III, p. 546, in nota), id quod cum inuidia erga illos qui romanam tuebantur libertatem, optime stare poterat. Quod Decoratum attinet, nec epistola Ennodii (fuerit idem Decoratus de quo agitur) multum probat, ibi enim nil equidem inuenio nisi blanditiarum cumulum inanium atque futilium (Ep. cit., uid. P.L. LXIII, 78).

[4] *C. Phil.* I, pr. 4, § 15.

[5] Ib. § 17: "de compositis falso litteris."

[6] Ita codex laurentianus ap. Mabillon (uid. infra, p. 178).

[7] Hodgkin (III, p. 550) suspicatur hanc epistolam mutatam fuisse a Gaudentio, de quo solo nil inuenit laudis apud Cassiodorum.

Sacrilegium denique quod spectat, consideranti quot leges contra mathematicos seu astrologos in Codice Theodosii latae sint, mirum esse non debet Boethio tale crimen inferri, qui arte mathematica uti uidimus multum pollebat[1].

Sed quam futilia immo atque ficta fuerint ea de quibus arguebatur, ex ipsa instruendae quaestionis ratione uel clarissime apparet. Nam cum rex mira quadam et crudeli astutia ad senatum, ut quos ipse reus sibi uindicauerat innocentiae consortes illos haberet iudices, rem retulisset, a senatoribus regis formidine perculsis Boethius absens nec auditus morti proscriptionique damnatus est[2]. "O meritos" inquit "de simili crimine neminem posse conuinci[3]." Dolorum omnium scilicet acerbissimus ille fuit ut quos spreto periculo defendere ipse contendisset, illos exitii sui uideret auctores[4].

Quaerenti igitur Boethi damnationis uera causa quaenam fuerit, non unam fuisse sed plures respondendum putamus.

Imprimis enim Gothorum factioni ille infensissimus esse debuit, quippe qui, ut supra uidimus, depraedantibus non semel obstitisset, et cum Symmacho praecipuus romanae libertatis propugnator exsisteret. Porro, sicut non defuere qui ex odio Boethium de uiolata erga Theodoricum fide libenter arguerent, ita et regi ipsi aucta illa Romanos inter et Iustinum amicitia perfidiam undique suspicandi causa fuit[5].

Sed ultra quam dici potest ignaue in hac re se gesserunt senatores romani qui, paucis exceptis[6], minanti Theodorico

[1] Cf. Hodgkin (III, pp. 541–542); Cessi, p. cliii. Cf. et supra, p. xiii.

[2] *C. Phil.* I, pr. 4, § 24. Hodgkin (III, p. 541). Cf. Procopium *De Bello Gothico*, infra, p. 176. [3] Ibid.

[4] Vnde hoc saltem titulo illicita fuit Boethi damnatio, quod sententia lata esset in absentem. Fuit enim, ut uidetur, eo tempore Ticini (cf. infra, p. xxi). Cessi (p. cli) aliud iniustitiae indicium in hoc uidet quod iudicium delatum fuerit ad Praefectum Vrbis (*An. Val.* § 87), cui nulla extra Vrbem iurisdictio. Attamen errare uidetur, nam Eusebius ille de quo *Anon. Vales.* (hic, p. 177) est praefectus urbis Ticini. Ita Capsoni (III, p. 97). Videtur cum Boethio damnatus fuisse et Albinus. Hodgkin (III, p. 551).

[5] Porro, recte, uti uidetur, Cipolla (*Per la storia del processo di Boezio*, p. 343): "Nella coscienza del VI secolo la persecuzione di Teodorico, pure essendo nella sua apparenza soltanto politica, era anche religiosa. Quando si ponga mente al vincolo che, giusta la politica di Teodorico, esisteva fra Cattolicismo e Romani da una parte, fra Arianesimo e Ostrogoti dall' altra, si vedrà che la cosa non potea essere diversa." Sed de traditione circa Boethium martyrem uid. Semeria, op. cit. pp. 10, 41–49.

[6] Defendebant Boethium aliqui ex senatoribus (*An. Val.* § 86, hic, p. 177): "(Rex) plus credidit falsis testibus quam senatoribus." Cf. Suttner, p. 12.

exitium totius senatus, Boethium tamquam uictimam piacularem deuouere haud dubitauerunt[1]. Vnde hac saltem de causa merito dicendus est Boethius "ultimus Romanorum."

Sed ab inita quaestione usque ad latum ab Eusebio urbis praefecto iudicium nonnihil temporis lapsum est, per quod non iam in carcere sed in custodia detinebatur Boethius. Nondum, inquam, in carcere, nam ipse Philosophiam allocutus[2] nonnisi "has exsilii nostri solitudines" conqueritur, et Magistra ut afflictum discipuli animum erigat[3], "Hic ipse locus" ait "quem tu exsilium uocas incolentibus patria est." Squalidus utique locus comparatione facta cum bibliotheca Boethi romana[4], tamen eiusmodi ubi librum illum aureum *De Consolatione Philosophiae* conscribere potuerit[5].

Vbinam reipsa detentus fuerit apud rerum scriptores ambigitur. Praeplacet tamen communior sententia illorum qui, traditione innixi antiquissima, quae ceterum argumentis roboratur ualidissimis, Ticini detentum fuisse asserunt[6].

[1] Inde recte deducit Hodgkin (III, p. 541) non mera Gothorum uiolentia damnatum fuisse Boethium. Fuere quippe inter senatores nonnulli qui forsan ex odio uel inuidia eum damnarent.

[2] *C. Phil.* I, pr. 3, § 2.

[3] *C. Phil.* II, pr. 4, § 13. Cf. Usener, *An. Hold.* p. 78.

[4] *C. Phil.* I, pr. 4, § 2. [5] Ita Semeria, p. 23.

[6] Duo habentur de loco custodiae indicia. Alterum praestat *Anon. Vales.* (§ 87, hic, p. 177) ubi dicit detentum *in agro Caluentiano*, ubi et interfectus est (ibid.). Boethius alterum suppeditat asserendo se "quingentis fere passuum milibus procul" ab Vrbe exsulem damnari (*C. Phil.* I, pr. 4, § 24). Inde tres habentur de loco Caluentiano dicto sententiae. Prima est eorum qui dicunt agrum esse iuxta Ticinum (hodie "Pavia"). Iuxta alteram est locus territorii mediolanensis parum distans a Melegnano. Alii dicunt esse "Chiavenna nella Valtellina."

Tertia haec sententia quae est Quadrii (*Dissertaz. sulla Valtellina*, tom. 3, Diss. I, § 24; cf. Murari, p. 48) quem sequitur et Suttner (p. 13, n. 65) hoc solo nititur argumento quod Clauenna 500 m.p. ab Vrbe distet, Ticinum e contra et Mediolanum tantum m.p. circiter 400. Cui tamen argumento uim adimere uidetur uerbulum illud "fere," unde Boethium nonnisi magnam distantiam significare apparet. Huc accedit quod Quadrius non aliter rem conficere ualet quam textum Anon. Valesii mutando (Caluentiano—Chiavenna). Manet igitur dirimenda quaestio inter Ticinum et Caluentianum mediolanensem.

Sententiae huius de agro mediolanensi patroni exsistunt Gervaise (P.L. LXIV, 1500 B et n. c.), Muratori (*Annali d' Italia*, III, pp. 298–299), L. Biraghi (p. 193), Stewart (p. 32), Tiraboschi (III, 47). Arguit Muratori ex nomine Caluentiano. Attamen est ager Caluentianus et in suburbio ticinensi, quod Muratori nesciisse uidetur (cf. Murari, pp. 50–51). Aliud desumunt argumentum hi ex Chronico Mari Episcopi Auenticensis (saec. 6) qui ait: "eo anno interfectus est Boetius patricius in territorio mediolanense" (uid. hic,

Incarceratum demum Ticini in turri quadam, ut uidetur[1], a Boethio inde dicta, dirissimis ibi affectum esse cruciatibus narrat Anonymus Valesianus. "Accepta chorda in fronte" ait "diutissime tortus (est) ita ut oculi eius creparent[2]." Deinde, teste eodem Anonymo, fuste caesus[3], die octobris uigesima tertia anno 524[4], e uita discessit.

Corpus eius in ecclesia iuxta turrim baptisterii depositum esse fertur[5]. Postea uero Luitprandus Langobardorum rex,

p. 178). Sed hic facile errare potuit ex eo quod ager ille Caluentianus (borgo Calvenzano) qui Ticini est, iuxta portam mediolanensem inuenitur. (Cf. Murari, p. 52.)

Agrum Caluentianum, de quo *An. Val.*, esse iuxta Ticinum antiqua tenet traditio ticinensis, cui suffragantur plurima historica argumenta quae optime exponit G. Bosisio (*Intorno al luogho del supplizio di S. Boezio*, Pavia, 1855), breuiter reassumit Murari (pp. 49–53). Sunt fere haec. Iuxta *Anon. Vales.* detentus est Bo. in custodia ad *baptisterium ecclesiae*. Iamuero secundum usum saeculi sexti "ecclesia" est eccl. cathedralis; insuper solae eccl. cathedr. habebant baptisteria. Nec ager Caluentianus mediolanensis nec alii huius nominis loci eccl. habebant cathedralem. Ticini e contra in agro Caluent. erat eccl. antiqua SS. Geruasi et Protasi, ubi iuxta traditionem localem incarceratus est Boethius. De turri Boethi uid. infra, n. 1. (Cf. et Capsoni (III, pp. 90–107). Baronium ad ann. 526; Bern. Saccum ubi infra, n. 1.)

Insuper ex eo quod Theodoricus Eusebium uocauerit Praefectum Vrbis Ticini, rem Ticini actam esse merito infertur. Cf. *Anon. Vales.* § 37.

[1] De turri Boethi antiqua uiget Ticini traditio cuius testis est Bernardus Saccus (an. 1557): (Boethius) relegatus itaque Papiam turri inclusus diu retentus est, quae turris sita est prope monasterium Beatae Annunciationi dicatum; nomenque a Boethio sumptum hoc tempore seruat, uulgo Turris Boethi nuncupata...(op. cit. tom. III, parte 1, lib. vii, cap. 18, col. 711). Similiter Baronius, ad ann. 526, num. xvi: "Ostenditur hodie Ticini turris in qua Boetius est detentus in uinculis...." Cecidit ista turris 19 maii 1584 (Murari, p. 71).

[2] Usener (*Anec. Hold.* p. 78) suspicatur eum tortum quia noluerit aliquid reuelare. Quod uerbis *C. Phil.* 1, pr. 4, §§ 15 et 17 innui putat: "Quid igitur... infitiabimur crimen?...fatebimur?...etc." "Quarum fraus aperta patuisset, si nobis ipsorum confessione delatorum...uti licuisset....Si ego...scissem, tu nescisses."

[3] Ita *Anon. Vales.* (§ 87). *Lib. Pont.* (uid. infra, p. 175) e contra, gladio interfectum asserit. Idem Agnellus Rauennas (infra, p. 178) et Paulus Diaconus (infra, p. 178) et epitaphium infra cit. (p. xxiii).

Lib. Pont. ait: "Symmachum et Boetium occidit (Theodoricus) interficiens gladio," forsan ut putat Papebrochius (*Acta SS.* Maii VI, p. 699 D): "utrique aptans quod conueniebat uni." Ceteri forsan per epitaphium in errorem inducti sunt. (Cf. Murari, p. 45, n. 2, et p. 73.)

[4] Ita Bollandistae. Papebrochius autem de die dubitare uidetur (l.c. p. 700). Kalendarium ticinense item. Marius Auenticensis (infra, p. 178) dicit mortuum esse Iustino et Opilione coss. Ind. II, scl. anno 524. Idem ex *Anon. Vales.* deducit Murari, p. 45. Sic et Cessi, p. cxxxix.

[5] Id est, in ecclesia antiqua cathedrali ticinensi, cuius in baptisterii turri prius detinebatur Boethius (*Anon. Val.* § 87; Papebrochius, l.c. p. 698 B).

cum anno 721 corpus S. Augustini a Saracenis in Sardinia magno pretio emptum Ticinum transtulisset et in ecclesia quam erexit ipse S. Petri in Cieldoro sepeliisset, etiam Boethi corpus in eadem ecclesia condendum curauit[1], ubi et Dante uiuo iacebat[2]. "Cuius quidem sepulchrum" ait Iacobus Gualla[3] "a parte dextera, qua per scalae gradus itur ad altare maius, digne eleuatum, ut aiunt, his uersibus adnotatum fuit:

Ecce Boetius caelo magnus
et omni mundo mirificandus homo,
qui Theodorico regi delatus iniquo
Papiam senium duxit in exilium.
In quo se moestum solans dedit inde (li)bellum,
post ictus gladio exiit e medio[4]."

Erectum est in loco ubi prius erat turris Boethi monumentum marmoreum, superposita Boethi effigie, his uerbis signatum:

HONOREM HOSPES HABETO
MEMORIAE
ANICI MANLI TORQVATI SEVERINI
BOETHI CONSVLARIS
QVEM DOCTRINA ET VIRTVS
SVMMIS VIRIS AEQVAVIT
HEIC ILLE SVB REGE THEODORICO
IN VINCVLIS
SOLATIVM AERVMNARVM
SCRIPTO DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIAE
AVREO LIBELLO
SIBI ET MISERO CVIQVE PARAVIT

Cf. M. Malaspina, *Guida di Pavia* (Pavia, 1819), p. 51 et p. 161.

[1] Ita Papebrochius, l.c. pp. 699–700. Gibbon, IV, p. 308, n. 30. Paulus diaconus, *Hist. Langob.* VI, 48 (MGH. ed. min. p. 234).

[2] *Par.* X, 127–9:

Lo corpo ond' ella (l' anima santa) fu cacciata giace
giuso in Cieldauro; ed essa da martiro
e da essilio venne a questa pace.

[3] *Historiae suae Patriae...libri sex* (1587), lib. IV, c. 16, pp. 84–85.

[4] Hanc inscriptionem refert Anonymus ticinensis (c. 1330) in *Commentario de Laudibus Papiae* (edidit e cod. ms. ticinensi L. A. Muratori, *Rer. Ital. Scr.* tom. XI, coll. 5–46, Mediol. 1727). In cap. IV (col. 13) uersus in tumulo Boethi sic citat:

Hoc in sarcophago iacet ecce Boetius arco,
magnus et omnimodo orando magnificandus homo.
—In fine uero sic scriptum est—
Qui Theodorico.....etc.
Papia...*cetera uti supra.*

Baronius, ad ann. 526, num. XVIII (ed. Lucae, IX, p. 355) citat, mutatis tamen uersibus ut elegantiores fiant. Papebrochio magis placet textus antiquior (l.c. p. 700). Ibi saeculi VIII barbariem degustat, unde ad tempus refert Luitprandi regis Langobardorum. Semeria uero saeculo XII anteriorem esse negat (p. 49).

Saeculo ineunte decimo sexto impositum uidetur sepulchro hoc alterum epitaphium quod loco ueteris composuit Balthasar Tachonus (Sacconi)[1]:

Maeonia et latia lingua clarissimus, et qui
Consul eram, hic perii, missus in exilium.
Ecquid mors rapuit? probitas me uexit ad auras:
et nunc fama uiget maxima, uiuit opus.

Die 11 maii 1782 renouatum est sepulchrum cum inscriptionibus, quo tempore reliquiae in arca lignea nigra argento ornata positae, populo ueneranti exhibitae sunt[2].

Anno 1799 translatae sunt in ecclesiam cathedralem ticinensem[3], ubi manebant usque ad diem 6 maii 1923, quo die opera Sodalitatis Historicae ticinensis in pristinam pompa solemni delatae sedem, in crypta ecclesiae S. Petri in Caelo Aureo, noua marmore rubro exstructa urna, rursus conditae sunt[4].

[1] Ita Stephanus Breuentanus (op. cit. p. 188, fol. 82 uerso: "la cui arca ancora (scl. anno 1570) ivi (in eccl. S. Petri in Caelo Aureo) si vede posta sopra quattro colonnette alla man destra della scala per cui si (fol. 83 recto) sale al choro, sopra la quale e questo epigramma in sua lode, ed in testimonianza della sua bonta, e della ingiustitia usatagli da Theodorico Gotho: *seq. versus uti supra*—I quali versi ridotti da me in lingua Italiana cosi suonano:

Io che nella Greca e Latia lingua
fui chiaro, e consol, son morto in esilio.
Ma che mi ha tolto Morte? la bontade
mia vive, e la mia fama e l' opere egregie."

Citat et Baronius (l.c.) e Iulio Martiano desumens. Hunc Pagius (ibid.) uocat "auctorem futilem et recentem." Scripserat iste uitam Boethi, quae uita "exstat ante eius opera." Est haec Vita in editione Valpy (London, 1823), p. 31. Cf. et Ioh. Mabillon, *Musaei Italici*, tom. 1, p. 1, pag. 221. Erat Ticini iun. 1686; Semeria, p. 49.

[2] Semeria, p. 49. De cultu Boethi martyris pro dioecesi ticinensi concesso, uid. infra, pp. 186–7.

[3] Semeria, ibid.

[4] Nouissimas has notitias beneuole mihi praestitit illmus Professor Villa, Vniuersitatis ticinensis Rector.

Inscriptum est urnae epitaphium quod refert Anonymus ticinensis (supra, p. xxiii), cum uersibus quibus diuinus poeta (*Par.* x, 127) Boethium commemorat.

CAPVT II

De Religione Boethi

Cum inter quaestiones quae de Boethio moueri solent praecipua illa sit de religione eius, in ipsa placet aliquantulum immorari. Ne tamen quae iam ab aliis et forte melius dicta sunt iterare, ne sententias ab omnibus iamdiu relictas tamquam aëra pulsantes oppugnare uideamur, haud inutile fore ducimus si de statu (uti aiunt) quaestionis aliqua praemiserimus.

Iam igitur medio aeuo non deerant qui mirarentur in opere *De Consolatione Philosophiae* nihil de Christo inueniri, immo nonnulla ibi religioni christianae saltem specie tenus contraria deprehendi. Ita saeculo decimo Bruno Corbeiensis[1] commentarium in opus nostrum componens, monet in libro illo "quaedam catholicae fidei contraria" reperiri, id quod mirum omnino ipsi uidetur, cum Boethium operum quorundam etiam theologicorum esse auctorem indubitanter constet. Nil tamen inde deducit Corbeiensis nisi Boethium in opere illo "tantum philosophorum et maxime platonicorum dogmata legentibus aperire uoluisse[2]." Haud secus Ioannes Saresberiensis[3] (saeculo XII) dum operi nostro laudes impendit maximas, illud tamen notatu dignum reputat quod "liber ille Verbum non exprimat incarnatum." Saeculo demum decimo sexto ad hoc deuenit Henricus Lorit ut a Boethio opus nostrum abiudicaret[4], Bertius uero saltem incompletum haberet, cui secuturam fuisse alteram partem theologicam certissimis se iactabat demonstrare argumentis[5].

Rei igitur difficultatem plures iam senserant; qui tamen Boethium Christianorum numero eximere ausus fuerit, ante saeculum decimum octauum inueniri arbitror neminem.

[1] Vid. infra, p. 179.

[2] Ibidem. Notat Semeria (p. 5) profundiorem quidem esse explicationem illam quam eiusdem auctor putauerit. Cf. infra, pp. xxxii seq.

[3] Vid. infra, p. 180.

[4] Glareanus dictus. Citatum habes infra, p. 183, et operis integrum titulum p. 193. Cui quidem sententiae alius nemo, quod equidem sciam, unquam adhaesit. Negat Lorit prosas et metra esse eiusdem auctoris, nec placet ei "ieiuna illa prosa" (Praef. p. 2). Cf. F. Gervaise, *Hist. de Boèce*, tom. II, pp. 117–121: *Examen du sentiment de Glareanus sur l'auteur des livres de la Consolation de la Philosophie de Boèce* (P.L. LXIV, 1541–1544).

[5] In praefatione ad suam editionem (1671), pp. 22–24 (paginae autem non numerantur). Vid. Bibliogr. p. 193.

Controuersiam proinde Boethius Christianus fuerit necne saeculo decimo octauo in Germania exortam esse recte quidem dixeris. Cuius rei rationem haud longe petendam esse puto. Florebat namque eo tempore, praesertim in Germania, schola quam "pietisticam" uocant, cui addicti non pauci Protestantes illud exploratum habebant, nullum Christianum quaestionibus pure philosophicis, facta a fide praecisione, uersari posse[1]. Ergo Boethius, cum in opere *De Consolatione Philosophiae* philosophica tantum, seclusa reuelatione, proponeret, eo ipso achristianus conuincebatur.

Primus igitur Boethium fuisse Christianum negauit Gottfriedus Arnold[2], qui ipsum, cum ex principiis paganis neglecto diuino eloquio solatium hausisset, "inter paganos paene censendum" putauit; et praeterea "sine ratione" adscribi ipsi opuscula illa theologica. Quem secutus Hand[3] adhuc uehementius, reiecta tractatuum dogmaticorum authentia, paganum denuntiauit Boethium. Eorundem deinde ingressus uestigiis Obbarius[4] "paganorum cultui addictum fuisse" auctorem nostrum ex ipsius scriptis, immo "multis ex rebus effici" contendit.

Sed interea nec deerant qui Boethi christianitatem solidissime uindicarent. Nam contra Arnold et Hand ostenderat G. A. Baur[5] nullomodo repugnare ut qui in operibus philosophicis dialecticae praesertim nauauisset operam, idem tractatus illos exararet dogmaticos ubi ratione dialectica doctrina christiana exponeretur. Obbario deinde opposuerunt Schenkl[6] et Suttner[7] argumenta grauissima quibus thesi ipsius, Boethium scilicet aperte paganum fuisse, fundamentum omnino submoueretur[8].

[1] Scholae fundamenta iecit Philippus Iac. Spener (1635–1705), quae postea in Vniuersitatibus praecipuis Germaniae (Halle, Königsberg, Giessen, Württemberg) florebat. Cf. H. Schmid, *Geschichte des Pietismus*, praesertim cap. x, pp. 435 seq. (Nordlingen, 1863).

[2] Fuit hic scholae supra dictae addictissimus, anno 1697 in Vniuersitate giessenensi historiae professor. Opus eius praecipuum "de Ecclesiae et haereseon historia" citatum habes infra, pp. 184–5.

[3] *Hallesche Encyclopädie* von Ersch und Gruber, 1823.

[4] In prolegomenis suae editionis (cf. infra, p. 193) capite II, pp. xxxv–xxxvi.

[5] *De A. M. S. Boethio christianae doctrinae assertore* (Darmstadt, 1861).

[6] Vid. Bibliogr. p. 189.

[7] J. G. Suttner, *Boethius der letzte Römer* (Eichstätt, 1852), pp. 20 seq.

[8] Praecipua sunt haec:

(i) Fuerat gens Anicia iam a tempore Constantini christiana, immo a multis Ecclesiae patribus laudata.

Aliam iam igitur uiam ingressus Fridericus Nitzsch[1], cum specie quidem Christianum fuisse nostrum concedat, animo tamen atque indole paganum fuisse, ex scriptionum et praesertim operis nostri genere certissime sibi constare profitetur, unde reiicienda esse testimonia illa, et ea quidem pauca et tardiora, quae de Boethio theologo habeantur, quippe quae nec cum ipsius moribus et indole nec cum eiusdem dicendi genere componi posse uideantur. His similia protulit Carolus Jourdain[2], adiecta de Boethio episcopo quodam africano coniectura, cui opera illa dogmatica adscribenda esse opinatus est. Sed et contra Nitzsch iam Peiper[3] exsurgit qui manuscriptorum praesertim innixus auctoritate, tria saltem ex opusculis illis sacris Boethio uindicat auctori.

Res igitur nostra anno 1871 eruditis adhuc in ancipiti uideri poterat; nam hinc quidem Boethium Christianum immo ac theologum suadebant tum tempora ac mores saeculi sexti, tum etiam traditio quaedam continua, tum demum communiter ipsi attributa opuscula theologica; illinc uero animum saltem paganum opus *De Consolatione Philosophiae* a religione christiana specie tenus alienum indigitare uidebatur, quod uero ad opuscula attinet dogmatica, nullum de iis ante saeculum octauum habebatur testimonium[4].

Quae cum ita fuerint, apertum est intellegere quantum rei

(ii) Pagani eo tempore Romae pauci erant, et raro ad summos honores adsciti.

(iii) B. senator fuit; senatus autem arx erat religionis catholicae contra haereticos orientales. Cf. Ennodii opus. II (P.L. LXIII, 206 B).

(iv) Fuit Christianus Symmachus, nostri socer. Atqui matrimonia mixta paganos inter et Christianos erant lege seuere prohibita.

Alia plura uideas apud Suttner, l.c. et apud Boissier, *Le Christianisme de Boèce* (*Journal des Savants*, août, 1889), pp. 450–451.

[1] *Das System des Boethius* (Berlin, 1860), p. 174: "Er war zwar seinen äusseren Bekenntnis nach Christ, aber sein System wurzelt in der antiken Philosophie und entbehrt nicht nur gänzlich eines specifisch christlichen Charakters, sondern verträgt sich nicht einmal mit dem Christenthum."

[2] *De l'origine des traditions sur le Christianisme de Boèce*, 1860. Vid. Bibliogr. p. 191.

[3] Introd. p. xxiii.

[4] Alcuinus (c. 730–804) Boethio tribuit opusculum de Trinitate (*lib. de Process. Sp. Si.* c. I, ubi citat B. de Trin. c. V, §§ 9–11). Hincmarus uero rhemensis (c. 806–882) de tribus Boethi opusculis loquitur, scl. "De Trinitate," "Vtrum Pater et Filius etc....," "Contra Eutychen et Nestorium" (*Collectio de una et non trina Deitate*, P.L. CXXV, 522 B–D, 523 A, 537 A, 541 B, 582 A, 584 B).

nostrae momentum attulerit Usener[1] (1877) in lucem edito *Anecdoto Holderi*. Fragmentum nempe quod inuenerat Alfredus Holder in fine codicis cuiusdam Cassiodori "Institutionum humanarum rerum" edidit Usener cum apparatu critico, adiectis authentiae certissimis argumentis[2]. Diserte ibi affirmat Cassiodorus Boethium scripsisse "librum de Sancta Trinitate et capita quaedam dogmatica et librum contra Nestorium." Proinde de authentia quorundam saltem ex opusculis sacris amplius non erat ambigendi locus, comprobante traditionem coaeui testimonio.

Qui posthac de re nostra scripserunt ita nihil noui in medium protulerunt ut tamen ea quae iam possidebantur enucleata quadam ratione proponerent. Ita inter recentiores qui Boethium uindicent christianum eminent in Italia Puccinotti[3], Biraghi[4], Bosisio[5], Semeria[6], Murari[7]; in Germania Hildebrand[8], Dräseke[9], Scheid[10].

Hodie igitur de christianitate Boethi extrinseca lis amplius non est; subtilior enim nunc atque, uti recte ait Semeria[11], paene inenodabilis exagitatur quaestio, de mente scilicet intima auctoris nostri. Num fuit, uti putat Nitzsch[12], de numero illorum qui plurimi in sinum Ecclesiae recepti, religioni tamen aut uix

[1] Herm. Usener, *Anecdoton Holderi: ein Beitrag zur Geschichte Roms in ostgothischer Zeit* (Leipzig: Teubner, 1877).

[2] De his uide infra, pp. 174–5. Boethio quidem attributa sunt opuscula haec:

I. *Quomodo Trinitas unus Deus ac non tres Dii; al. De Sancta Trinitate* (P.L. LXIV, 1247–1256; ed. Peiper cum *Cons. Phil.* 149–163).

II. *Vtrum Pater et Filius et Spiritus Sanctus de diuinitate substantialiter praedicentur* (P.L. LXIV, 1299–1302; Peiper, 164–167).

III. *Quomodo substantiae in eo quod sint bonae sint, cum non sint substantialia bona* (P.L. LXIV, 1311–1314; Peiper, 168–174). Hoc autem opus est inter philosophica potius recensendum, iisque addendum de quibus infra, p. xxxii, n. 3.

IV. *Breuis fidei christianae complexio; al. De Fide Catholica* (P.L. LXIV, 1333–1338; Peiper, 175–185).

V. *Liber de persona et duabus naturis contra Eutychen et Nestorium; al. Liber contra Eutychen et Nestorium* (P.L. LXIV, 1337–1354; Peiper, 186–218). Iamuero opp. I et V Boethi esse probat *Anecdoton Holderi* (cf. supra). "Capita" illa "dogmatica" quaenam sint dubitatur; sunt fortasse II et III. Sed pro opusculo IV nulla habetur auctoritas quae ualeat. Illud tribuit Boethio solus codex Ratisbonensis S. Emmerami (saec. X–XI = E apud Peiper, p. vii) nec quisquam ante Thomam Aquinatem dicit a Boethio scriptum. Cf. Usener, op. cit. p. 48; Murari, 135–138; Semeria, p. 118; Stewart, cap. v. Peiper uero (XXI–XXIII) admittit I, II, III; abiudicat IV et V.

[3] Vid. Bibliogr. p. 189. [4] Vid. ibid. p. 190. [5] Vid. ibid. p. 189.
[6] Ibid. p. 192. [7] Ibid. p. 191. [8] Ibid. p. 192.
[9] Ibid. p. 191. [10] Ibid. p. 192. [11] Op. cit. p. 6. [12] Op. cit. p. 40.

aut omnino non student? Sed, inquies, eo saltem tempore quo opera scripsit theologica, religionis studiosus esse debuit. Num igitur postea (nam opera ista iuuenem scripsisse ueri simile est)[1] Christo obsequium detraxit? Qui quidem talia adsereret ipsi certe probandi onus, idque grauissimum incumberet; nonne enim tanto clarior esse debet demonstratio ac magis perspicua, quanto de re agitur intima magis atque occulta?

Quapropter id nunc quaeritur, an argumentis possit demonstrari certis Boethium, quem religionem christianam specie tenus quidem semper esse professum ultro conceditur, porro qui saltem iuuenis adeo et animo christianus fuit ut religionem scriptis defendere non dubitauerit, eundem in fine tandem uitae a fide recessisse.

Cum uero quae ad haec adstruenda congerere solent auctores non nisi ex hoc opere nostro depromantur, nos muneri nostro haud defuisse uidebimur si eiusmodi rationes uanas omnino ac ponderis expertes esse ostenderimus.

Boethium igitur mente paganum fuisse his praesertim demonstrare se putant, quod ipse in libro *De Consolatione Philosophiae* de Christo deque eius reuelatione omnino sileat, quod ibidem pantheismo faueat, quod perpetuum mundum affirmet nec a Deo creatum, quod animas humanas corpori praeexsistere asserat, quod de carnis resurrectione, de gratia diuina homini necessaria ne uerbum quidem habeat. De singulis autem quid sit dicendum iam nunc uideamus.

Et imprimis de christiana religione nil clare dici in libro nostro ultro quidem concedimus, immerito tamen inde deduci contendimus eiusdem auctorem esse paganum, cum tales libros conscribere et Christianos posse immo et solere, tum huius tum et antiquae aetatis usus demonstret. Peruulgata enim erat iam apud antiquos Christianos doctrina philosophiam et religionem esse quidem inter se distincta, cum ex ratione humana illa, haec ex Verbo Dei sumeret principium, minime uero esse sibi contraria. Illud iam Iustinus apologeta agnouit[2]. Nam obiicientibus

[1] Ita J. Dräseke, p. 330; Peiper, p. xxiii; Usener, p. 55; Murari, p. 139.

[2] Iustini *Dialog. cum Tryphone*, c. 8 (Op. omnia, ed. Parisiis, 1742), 109 E: *ταύτην μόνην εὕρισκον φιλοσοφίαν ἀσφαλῆ τε καὶ σύμφορον. οὕτως δὴ καὶ διὰ ταῦτα φιλόσοφος ἐγώ.* Cf. *II Apol.* 13 (ed. cit. 97 D) et *I Apol.* 20 (ed. cit. 55 E): *εἰ οὖν καὶ ὁμοίως τινὰ τοῖς παρ' ὑμῖν τιμωμένοις ποιηταῖς καὶ φιλοσόφοις λέγομεν, ἔνια δὴ καὶ μειζόνως καὶ θείως, καὶ μόνοι μετ' ἀποδείξεως, τί παρὰ*

christianam non nisi rudium atque ignorantium esse religionem, respondit unam ueram esse Christianorum philosophiam, quia quae philosophi pagani ratione ducti humana cognouissent, ea Verbum diuinum magis firmaret immo ac compleret. Nullo inde defuerunt tempore Christiani qui, cum animaduerterent antiquorum et praesertim Platonis philosophiam in multis cum religione christiana conuenire, eiusmodi studiis maxima cum diligentia incumberent. Ita ineunte saeculo tertio dolebat Tertullianus[1] scripta esse a Christianis opera nonnulla, "per quae recognosci possit nihil nos aut nouum aut portentosum suscepisse de quo non etiam communes et publicae litterae ad suffragium nobis patrocinentur." Qui quidem talem respuens usum, alibi[2] ait: "Quid ergo Athenis et Hierosolymis, quid academiae et Ecclesiae, quid haereticis et christianis?" Ex quibus sane licet inferre auctores istos paganis nimium indulsisse, quippe qui omnia dogmata christiana apud Platonicos reperire se putarent. Sed et exinde patefit illius aetatis Christianos id adlaborasse ut cum doctrina reuelata ueterum philosophiam conciliarent.

Cuius quidem scribendi rationis praeclarum nobis suppeditat exemplum Minucius Felix qui in dialogo *Octauius* permulta de Deo eiusque natura, facta a fide praecisione, argumentis demonstrat philosophicis. Ibi[3], ut alia omittam, de Platonis *Timaeo* ait "quae (oratio) tota esset coelestis nisi persuasionis ciuilis nonnunquam admixtione sordesceret..." immo "eadem fere et ista quae nostra sunt[4]...ut quiuis arbitretur aut christianos philosophos esse aut philosophos fuisse iam tunc christianos[5]."

Inde increpat Clemens Alexandrinus illos qui, ne in errorem inducerentur, a graeca philosophia abhorrebant. Potius colenda

πάντας ἀδίκως μισούμεθα; τῷ γὰρ λέγειν ἡμᾶς, ὑπὸ θεοῦ πάντα κεκοσμῆσθαι καὶ γεγονέναι, Πλάτωνος δόξομεν λέγειν δόγμα...κ.τ.λ. Quam miram inter sanam philosophiam et reuelationem concordiam eo explicat, quod ratio humana, cum semen sit Verbi diuini, non aliunde quam reuelata doctrina sumat originem. Cf. *II Apol.* 8, 10, 13 (ed. cit. 94, 97). Vel etiam quod e sacris litteris pagani plura desumpserint. Cf. *I Apol.* 44 (ed. cit. 70 B). Cf. Tixeront, *Histoire des Dogmes* (Paris, 1915), vol. I, pp. 231 seq.

[1] *De Testim. Animae*, 1 (ed. Oehler, I, 399–400). Cf. Boissier, op. cit. p. 457.

[2] *Praescr. Haer.* 7 (ed. Oehler, II, 10). Cf. Boissier, ibid.

[3] *Octauius*, XIX, 14.

[4] Ibid. XIX, 15. [5] Ibid. XX, 1.

eiusmodi studia ipse putat, cum et philosophia, in illis saltem in quibus uera sit et sana, a Deo sit[1].

Ad quae intellegenda illud praecipue recolendum est multos ex iis qui religionem amplexi sunt christianam iampridem principiis imbutos fuisse philosophiae graecae. Minime mirum ergo est ipsos doctrinam Christi rationibus philosophicis firmare uoluisse. Eiusmodi fuit et ipse Augustinus qui usque ad trigesimum aetatis suae annum antiquae philosophiae studio se dederat. Is "cum reliquisset uel quae adeptus fuerat in cupiditatibus huius mundi, uel quae adipisci uolebat, et se ad christianae uitae otium contulisset[2]," adeo non derelinquendam philosophiam putabat ut potius eo tempore quo ad baptismum suscipiendum se parabat, dialogos scriberet philosophicos[3]. Qui enim philosophando a Deo iuuenis errauerat, iam in ipsa philosophia inuenturum se Deum confidebat. Ita in dialogo contra Academicos quem in solitudine Cassiciaci scribebat, "Ipsa (Philosophia)," ait, "me nunc in otio quod uehementer optauimus nutrit ac fouet; ipsa me penitus ab illa superstitione (scl. Manichaeorum), in quam te (Romanianum) mecum praecipitem dederam, liberauit. Ipsa enim docet et uere docet, nihil omnino colendum esse totumque contemni oportere quidquid mortalibus oculis cernitur[4]." Et alibi, "apud Platonicos me interim quod sacris nostris non repugnet reperturum esse confido[5]."

Recentiores demum quid commemorem? Quid Aquinatem nostrum, Ecclesiae illud ne dicam mundi lumen, qui de Dei existentia, natura, prouidentia, praeclara omnino exponit, omnia ex rationibus pure philosophicis deducendo? Quid scholasticos ad unum omnes, qui theologiam inter et philosophiam accurate

[1] *Stromata* VI, c. 10 (ed. O. Stählin in serie berolin., 1906, tom. II, p. 472): *οἱ πολλοὶ δὲ καθάπερ οἱ παῖδες τὰ μορμολυκεῖα οὕτως δεδίασι τὴν ἑλληνικὴν φιλοσοφίαν, φοβούμενοι μὴ ἀπαγάγῃ αὐτούς. Εἰ δὲ τοιαύτη παρ' αὐτοῖς ἔστιν ἡ πίστις (οὐ γὰρ ἂν γνῶσιν εἴποιμι) ἵνα λυθῇ πιθανολογίᾳ, λυθήτω, διὰ τούτου μάλιστα ὁμολογούντων οὐχ ἕξειν τὴν ἀλήθειαν· ἀνίκητος γάρ, φησίν, ἡ ἀλήθεια, ψευδοδοξία δὲ καταλύεται.* Totum caput 18 de eadem re tractat. Ita e.g. (ed. cit. p. 515): *Εἰ δέ που σχολὴ καὶ ἀνέσεως καιρὸς ἀπὸ τῶν προηγουμένων, ἀντὶ τῆς ἄλλης ῥαθυμίας καὶ τῆς ἑλληνικῆς ἐφάπτεται φιλοσοφίας.* Concludit demum: *φιλοσοφητέον ἄρα.* Passim heic dicit gnostico discendam esse philosophiam graecam.

[2] *Lib. Retract.* I, cap. 1 (P.L. XXXII, 585).

[3] Scl. *Contra Academicos*, *De Ordine*, *De Vita Beata* (P.L. XXXII, 905–1020).

[4] Lib. I, cap. 1, § 3 (P.L. XXXII, 907).

[5] Lib. III, cap. 20, § 43 (ibid. 957). Ad quem locum optime notat Boissier (p. 461), "Ce que saint Augustin voulait faire, Boèce l'a fait toute sa vie."

seruato discrimine, ipso Paulo apostolo duce, "ex iis quae facta sunt" sumpto exordio, ad Deum primam omnium causam mente assurgunt? Sed longum est et de iis qui nunc sunt sermonem protrahere. Sufficere tamen uidentur quae diximus ad hoc ut eluceat nullo modo repugnare ut Christianus opus exaret pure philosophicum, ubi de reuelatione diuina nulla omnino ratio habeatur, et proinde ex hoc capite nihil contra orthodoxam Boethi mentem inferri posse.

Sed dixerit quispiam, potuerit quoduis aliud huiusmodi opus a Christiano confici, certe opus *De Consolatione Philosophiae* non potuit. Nonne enim iamiam morituro Boethio[1], si Christianus quidem fuisset, non ex philosophia sed ex Scripturis quaerenda erant solatia? Num qui Christianus uere fuerit, ille nec Christum adprecatus nec Dei inuocata misericordia, morti offerre se potuit?

Qui talia obiecerit, is nec quo fuerit ingenio Boethius noster, nec quo ipso temporis articulo opus nostrum conscriptum fuerit, satis considerasse uidetur.

Et reuera quod ad primum attinet, illud etiam atque etiam perpendendum est Boethium fuisse imprimis philosophum, et quidem ita ut per totam uitam ex una philosophia delectationem ceperit. Iuuenis enim, testante ipso[2], antiquorum philosophiae cultui iam incumbebat, Platonis dico et Aristotelis, quorum doctrinam sinceram, sepositis Neoplatonicorum commentis, ipse graeca lingua doctus attingere studebat[3].

[1] Ita e.g. Jourdain, op. cit. p. 332: "S'il a été sincèrement chrétien, n'a-t-il pas dû proclamer sa foi lorsqu'il dissertait sur la justice de Dieu, au moment de comparaître devant elle?"

[2] Cf. supra, p. xiii.

[3] Quamquam de omnibus Boethii operibus tractare nobis propositum non est, attamen iuuabit nonnulla heic de ceteris scriptis eius philosophicis subiungere.

Ex iis quae de disciplinis ad "quadriuium" pertinentibus Boethius scripsit, nobis non extant nisi *De Institutione Musica libri* 5 (P.L. LXIII, 1167–1300) et *De Institutione Arithmetica libri* 2 (ibid. 1079–1168). Versio illa Euclidis Geometriae quae tamquam Boethi proponi solet (P.L. LXIII, 1307–1364) num authentica sit dubitant auctores, quamquam aliquid de hac re scripsisse auctorem nostrum ueri simile est, testante Cassiodoro (*Var.* I, 45) "geometricum Euclidem" per Boethium "audiri Ausoniis." Nec immerito ex eodem eruitur testimonio, aliquos de Astronomia et de Mechanica libros, quos tamen non habemus, a Boethio scriptos esse. Dialecticis Stagiritae libris praeposuit *Porphyrii Introductionem*, quam a Victorino iampridem translatam ipse commentario auxit (P.L. LXIV, 9–70). Cum tamen in illa uersione quaedam emendanda inuenisset, iterum idem opus transferendum profundiusque commentandum suscepit (P.L. LXIV, 71–158). Opus deinde

Placet quidem animo fingere iuuenem nostrum patricium qui in bibliotheca sua "ebore ac uitro[1]" ornata, spretis quae iuuenes prosequi solent oblectamentis, suaui cum Philosophia gaudet conloquio. Cuius demum pristinae felicitatis exsul haud immemor Magistram ita adloquitur[2]: "Haecine est bibliotheca quam certissimam tibi sedem nostris in laribus ipsa delegeras? in qua mecum saepe residens de humanarum diuinarumque[3] rerum scientia disserebas?...cum tecum naturae secreta rimarer, cum mihi siderum uias radio describeres, cum mores nostros totiusque uitae rationem ad coelestis ordinis exempla formares?" Nec a uiuendi ratione tam tranquilla uotisque tam consentanea un-

aggressus quod praecipuum sibi proposuerat, scripta nempe Aristotelis et Platonis uertendi atque commentandi, in *Praedicamenta Aristotelis* unum (P.L. LXIV, 159–294), in eiusdem *De Interpretatione* librum, duos instituit commentarios (P.L. LXIV, 293–640). Quae uero tamquam Boethi circumferri solent uersiones "Priorum et Posteriorum Analyticorum," "Topicorum," "Elenchorum Sophisticorum" (P.L. LXIV, 639–762, 909–1040), illae a pluribus auctoribus iisque grauissimis authenticae habentur. Attamen fateor equidem iis me moueri rationibus quas proponit Schmidlin ("Die Philosophie Ottos von Freising," *Philosoph. Jahrbuch*, 1905, pp. 168 seq.: cf. M. Grabmann, *Geschichte der Scholastischen Methode*, Freiburg im Breisgau, 1909, vol. I, p. 150) ut an Boethi reuera sint, ualde dubitem. Accedunt commentarii in *Topica Ciceronis* libri 6, quorum tamen ultimus incompletus remanet (P.L. LXIV, 1039–1174). Plura insuper exarauit opuscula quibus dialecticam aristotelicam profundius explicauit. Sunt nempe *De Syllogismo categorico* (Introductio et libri 2, P.L. LXIV, 761–832), *De Syllogismo hypothetico*, totidem libri (P.L. LXIV, 831–876), *De Diuisione* (ibid. 875–892), *De differentiis topicis* (P.L. LXIV, 1173–1216). Alia plura opuscula philosophica quae Boethio olim tribuebantur, spuria esse recentior inuestigatio demonstrauit. Ita librum "de Definitione" opus esse Mari Victorini probauit Usener (op. cit. pp. 59–66). Opuscula illa "Speculatio de Rhetoricae Cognatione" et "Locorum rhetoricorum Distinctio" (P.L. LXIV, 1217–1224) non sunt nisi excerpta e libro IV *de Differentiis Topicis*, uti iam Baur (*De A. M. S. Boethio*, p. 11) ostendit, et caeterum comparanti cuique patet. Librum porro "de Vnitate et Vno" (P.L. LXIII, 1075–1078) elaborationem quamdam esse sententiae Boethi a Dominico Gundisalvi scriptam, demonstrauit Paulus Correns (*Die dem Boethius fälschlich zugeschriebene Abhandlung des Dominicus Gundisalvi: De Vnitate;* in Cl. Bäumker, *Beiträge zur Geschichte der Phil. des Mittelalters*, Bd. I, Heft 1. Münster, 1891). Quod demum ad librum attinet "De Disciplina Scholarium," cum eiusdem auctor de uniuersitate loquatur Parisiensi (P.L. LXIV, 1227), quae anno 1206 fundata est, et opus praeterea plurimis scateat erroribus, mirum est Boethio illud umquam esse attributum.

[1] *C. Phil.* I, pr. 5, § 5, infra, p. 23.

[2] *C. Phil.* I, pr. 4, §§ 2, 3, infra, pp. 11–12.

[3] Quaenam sit haec rerum "diuinarum" scientia, erui forsan possit e titulo operis cuiusdam Cassiodori *De Institutione diuinarum litterarum* (P.L. LXX, 1105–1150), ubi de litteris sacris auctor tractat. Nec igitur sine ratione putant nonnulli his Boethi uerbis opuscula significari dogmatica, de quibus supra, p. xxviii, n. 22. Cf. Usener, op. cit. p. 51.

quam se abripuisset, nisi uitam ciuilem sibi esse ingrediendam persuasum esset, monente Platone "hanc sapientibus capessendae reipublicae necessariam causam esse, ne improbis flagitiosisque ciuibus urbium relicta gubernacula, pestem bonis ac perniciem ferrent[1]."

Sed nec uitam ingressus ciuilem tam dilectam sibi disciplinam praetermittendam putabat. Nam commentarium suum in *Praedicamenta* Aristotelis anno sui consulatus (510) scribens ait[2]: "Etsi nos curae officii consularis impediunt quominus in his studiis omne otium plenamque operam consumamus, pertinere tamen uidetur ad aliquam reipublicae curam elucubratae rei doctrina ciues instruere."

Sed et ad dogmata christiana exponenda cum animum aduertisset philosophus noster, nihil ibi antiquius habuit quam ut reuelatam doctrinam dialecticae ope aristotelicae[3] inlustraret et contra haereticos defenderet. Ita in proemio ad librum *de Trinitate*[4], "Inuestigatam" ait, "diutissime quaestionem, quantum nostrae mentis igniculum lux diuina dignata est, formatam rationibus litterisque mandatam offerendam uobis communicandamque curaui." Doctus nempe reuelatione unum et trinum esse Deum, id quomodo esse possit rationibus philosophicis ostendere conatur. Neque tamen in falsum auxit rationis humanae munus dogmata pertractantis diuina, nam ad eadem plene intellegenda deficere intellectum nostrum ibidem[5] ipse fatetur. "Quod si" ait "sententiae fidei fundamentis sponte firmissimis, opitulante gratia diuina, idonea argumentorum adiumenta praestitimus, illuc perfecti operis laetitia remeabit unde uenit effectus. Quod si ultra se humanitas nequiuit ascendere, quantum imbecillitas subtrahit uota supplebunt." Et iterum[6]: "sane tantum a nobis quaeri oportet,

[1] *C. Phil.* I, pr. 4, § 4. Cf. *Rep.* V, 473 D, E.

[2] Lib. II, initio (P.L. LXIV, 201 B).

[3] Christianis quidem religionis mysteria iam ab initio profundius scrutantibus magister imprimis fuit Plato mysticus et theologus, quem et a Deo inlustratum nonnulli putabant. (Cf. e.g. quae de Iustino supra diximus, p. xxix, n. 2.) Sed insidiantibus iam haereticorum praesertim circa Trinitatem et Christum erroribus, necesse fuit ut ad illos refellendos logice atque magis praecise doctrina christiana definiretur. Quantum uero ad hoc iuuare posset dialectica aristotelica Boethius opusculis suis dogmaticis demonstrauit. Cf. Tixeront, *Histoire des dogmes* (Paris, 1922), vol. III, p. 9.

[4] Ed. Peiper, p. 149. [5] Cap. VI (ed. cit. p. 163, lin. 26).

[6] Proem. (ed. cit. p. 150, lin. 21).

quantum humanae rationis intuitus ad diuinitatis ualet celsa conscendere[1]."

Methodum igitur primus adhibuit ipse, qua usi sunt inde omnes scholastici, quorum pater atque institutor non immerito est uocatus[2].

Sed nunc quaeso, qui iuuenis nonnisi philosophia delectabatur, qui uitam ciuilem nonnisi monente philosophia ingressus est, qui consul id praecipue adlaborabat ut ciues doctrina instrueret philosophica, qui theologus id imprimis moliebatur ut fidei tanquam adiumenta rationes subministraret philosophicas, qui, ut uno uerbo dicam, in philosophia totus uersabatur, undenam ille, cum diuitiis, honoribus, ipsa demum libertate orbatum se uideret, nisi ex ipsa illa philosophia tantorum medicinam malorum repeteret?

Neue dixeris Boethium, nulla Christo precatione facta, mortem obiisse. Immerito enim putaueris librum nostrum ultimum esse morientis gemitum. Nam uti supra iam uidimus[3] eo tempore quo ipsum scribebat, erat quidem exsul Boethius, nondum tamen omnis spei expers fuit, nondum certe se sciebat moriturum. Ait enim Philosophia[4] iis enumeratis bonis quae Boethio adhuc remanebant: "Quare sicca iam lacrimas; nondum est ad unum omnes exosa fortuna, nec tibi nimium ualida tempestas incubuit, quando tenaces haerent ancorae, quae nec praesentis solamen nec futuri spem temporis abesse patiantur." Ad quae Boethius "Et haereant precor; illis namque manentibus, utcumque se res habeant, enatabimus."

[1] Cum his conferre iuuat quae Boethius dicit in *C. Phil.* v, pr. 5, § 9: "Quare in illius summae intellegentiae cacumen, si possumus, erigamur"; et v, pr. 6, § 1: "Intueamur nunc quantum fas est quis sit diuinae substantiae status."

[2] Quantum Boethio acceptum referant philosophi medioaeuales aegre satis aestimaueris. Nam usque ad prima decennia saeculi decimi secundi nihil latinis de Aristotelis operibus notum erat nisi libri illi *de Categoriis* et *de Interpretatione* quos latine Boethius reddiderat. Quibus si addis eiusdem *in Introductionem Porphyri* commentarios, integros habes fontes unde philosophi illi doctrinam hauserunt dialecticam. Ex ipsius in Porphyrium a se translatum commentariis (lib. I, c. fin.; P.L. LXIV, 85 C) exordium sumpsit controuersia illa celeberrima de "uniuersalium" natura, per totum medium aeuum tantum exagitata. Sed quot Boethi uerbis, conceptibus, sententiis scholastici deinde tamquam suis usi sint, ex huius operis adnotationibus satis liquebit. Cf. et Grabmann, *Geschichte der Scholastischen Methode*, Bd. I, pp. 148–176.

[3] P. XXI.

[4] *C. Phil.* II, pr. 4, §§ 7, 8, infra, p. 39.

En ergo Boethius qui exsul in custodia, infelix quidem, nondum tamen de uita desperans, otium philosophiae studio amatae consumit. Immo etiam nonne dicendum est opus illud *De Consolatione Philosophiae* apologia quaedam pro uita sua, qua haud frustra philosophiae operam se dedisse ostendere uult, quippe qui in illa, omnibus quae homines aestimare solent bonis spoliatus, non modicum solatium inuenire ualuerit? Postea dum in carcere inclusus dira sustinet tormenta, dum mortem sibi imminere uidet crudelissimam, quomodo tunc ipse se gesserit nemo nos edocuit. Qui tamen per totam uitam fidem christianam, uti omnes concedunt, saltem specie professus erat, qui etiam uti philosophus scribens[1] haud "frustra esse in Deo positas spes precesque" edixerat, quem demum a fide recessisse nihil probat, illum in fine uitae Christum non exorasse nemo iure affirmabit[2].

Sed iam instant qui et ipsam Boethi philosophiam paganam dicant, quippe quae persaepe cum reuelatione christiana componi non possit. Cum uero in hac re quibusdam auctoribus debitum ingenii acumen adeo deesse uideatur, ut nec uerborum nec rerum discrimina perspecta satis habeant, idcirco quaedam liceat breuiter praenotare.

Et primo quidem illud notatum uelim, aliud esse sententiam aliquam silentio praeterire, aliud eandem negare. Neque unquam qui reticet negare est putandus, nisi illud siluit quod dicere omnino oportuit. Secundo, ut ad rem nostram propius accedamus, immerito aliquem Christianum fuisse ideo tantum negaueris, quod sententiam edixerit doctrinae christianae reapse contrariam. Intellectui enim humano nonnisi gradatim affulgebat omnium quae doctrinae insunt reuelatae clara et distincta cognitio. Heredem putares cui maiora et plura legata essent, quam ut uno mentis ictu recte aestimaret. Ita per saecula profert Ecclesia de thesauro suo quae simul noua sint et uetera, noua quidem, quippe quae iam primum clare intellegantur, uetera, quia semel tradita nullo foenore accrescunt. Mirum igitur tibi ne uideatur apud Christianos antiquos aliquas reperiri sententias, quas tamquam reuelatae doctrinae contrarias Ecclesia nonnisi postea reprobauerit.

[1] *C. Phil.* v, pr. 6, § 36.
[2] Cf. Boissier, op. cit. pp. 461–462.

Quibus quidem recte intellectis, ea quae ex libro nostro contra Boethi christianitatem adhuc obiici solent, nullo negotio expediuntur.

Et imprimis Boethium fuisse pantheistam nonnulli ex quibusdam libri nostri locis sat inepte deduxerunt. Ita Obbarius qui[1] "Sententiae" ait, "quas de deo...exposuit...eius pantheismum non religionem christianam indicant." Audias nimirum Boethium pantheismum profitentem: "Nam quoniam," ait[2], "beatitudinis adeptione fiunt homines beati, beatitudo uero est ipsa diuinitas, diuinitatis adeptione beatos fieri manifestum est; sed uti iustitiae adeptione iusti...fiunt, ita diuinitatem adeptos deos fieri simili ratione necesse est. Omnis igitur beatus deus, sed natura quidem unus; participatione uero nihil prohibet esse quam plurimos."

Vera scilicet beatitudo in Deo solo cum sit reponenda, in Deo autem beatitudo nonnisi ipsa sit diuinitas, neminem inde sequitur uere beatum esse nisi qui ipsius diuinitatis quodammodo factus fuerit particeps. Qua quidem doctrina homine christiano magis dignam sane uix inueneris. Ne tamen suspicaretur quis eidem subesse pantheismi uenenum (Obbarium praeuidisse diceres accusatorem), ideo subiunxit illa: "(Deus) natura quidem unus (est); participatione uero nihil prohibet esse quam plurimos." Quam quidem participationem hominibus tribui solummodo ratione similitudinis cuiusdam, et ipse Boethius alibi in hoc libro[3], et scholastici plures[4] hunc locum interpretati rite explicauere. Praeterea eundem loquendi modum

[1] Introd. p. xxxv.

[2] *C. Phil.* III, pr. 10, § 19.

[3] Cf. *C. Phil.* I, pr. 4, § 26: "ut consimilem Deo faceres"; II, pr. 5, § 17: "Vos autem Deo mente consimiles."

[4] Cf. e.g. Aquin. *Sum. theol.* I–II, q. 3, art. 1, ad 1: "Deus est beatitudo per essentiam suam: non enim per adeptionem aut participationem alicuius alterius beatus est, sed per essentiam suam. Homines autem sunt beati, sicut ibidem dicit Boet., per participationem; sicut et dii per participationem dicuntur: ipsa autem participatio beatitudinis, secundum quam homo dicitur beatus, aliquid creatum est." Cf. et I, q. 26, art. 4, ad 1 et I, q. 6, art. 4, corp.: "A primo igitur per suam essentiam ente et bono, unumquodque potest dici bonum et ens, in quantum participat ipsum per modum cuiusdam assimilationis, licet remote et efficienter....Sic ergo unumquodque dicitur bonum bonitate diuina, sicut primo principio exemplari effectiuo et finali totius bonitatis. Nihilominus tamen unumquodque dicitur bonum similitudine diuinae bonitatis sibi inhaerente, quae est formaliter sua bonitas denominans ipsum. Et sic est bonitas una omnium et etiam multae bonitates."

a multis Ecclesiae patribus[1], immo ab ipsis scriptoribus sacris[2] adhibitum esse omnes norunt.

Verum etiam minus feliciter, eiusdem rei euincendae gratia, ad ea prouocaueris quae de anima mundi habet Boethius[3].

Mundum quidem esse animatum notissima fuit Platonis sententia. Iam enim neo-pythagorici in media terra, quam et ipsam in medio mundo sitam esse putabant, ignem esse dixerant quo terra non tantum calefieret, sed et uiueret et ordinaretur, corpora uero coelestia mouerentur per circulum. Quod igitur igni neo-pythagorici, id Plato animae mundi tribuebat. "Mundus enim hic," ita ipse in *Timaeo*[4], "diuina prouidentia factus est uiuus, animatus, intellegens." Sicut illis ignem, ita huic mundi animam placuit omnibus principium esse uitae et motus, ordinis atque regiminis. Insuper, cum inter id quod solum reale esset, Ideam uidelicet, et Materiam quae de se esset nihil (τὸ μὴ ὄν) anima illa utpote cum illius tum huius naturae quodammodo particeps, media intercederet, ipsam causam esse et instrumentum quo ideae illae sub sensum cadere possent. Quae cum ita sint, animae mundi, e pluribus naturis concretae, cum Deo maxime simplici nihil, iuxta Platonis sententiam, esse commune nemo est quin uideat.

Quam de mundo animato sententiam tenuit et Plotinus, quem tamen pantheistam fuisse nonnulli cum Zeller et Klimke existimant[5]. Et quidem si Mens illa[6] tamquam Vnius energia accipienda est, nimirum cum anima mundi, tum ceterae animae, ut ex ipsa promanantes, re idem sunt quod ipsum Vnum, nec

[1] Cf. Iren. *Haer.* IV, praef. 4: "neminem alium Deum appellari a Scripturis nisi Patrem omnium et Filium, et eos qui adoptionem habent." Hieron. *Comm. in Ierem.* X, 11 (scl. II, 88): "cooperatores Christi qui dei uocantur." Leo I, *Serm.* XXI (*al.* XX) *in Nat. Dom.* c. 3: "Agnosce o Christiane dignitatem tuam, et diuinae consors factus naturae, noli in ueterem uilitatem degeneri conuersatione redire." Cf. et Aug. *Ciu. Dei*, IX, 23. Alia plura uideas in adnot. ad locum, infra, p. 88.

[2] Cf. Ioh. X, 34 (Ps. LXXXI, 6), Act. XVII, 29: "Genus ergo cum simus Dei"; II Pet. I, 4: "diuinae consortes naturae."

[3] *C. Phil.* III, m. 9.

[4] *Tim.* 30 B: οὕτως οὖν δὴ κατὰ λόγον τὸν εἰκότα δεῖ λέγειν, τόνδε τὸν κόσμον ζῷον ἔμψυχον ἔννουν τε τῇ ἀληθείᾳ διὰ τὴν τοῦ θεοῦ γενέσθαι πρόνοιαν. Cf. ibid. 34 B; *Leg.* 896–898.

[5] Zeller, *Die Philosophie der Griechen* (Leipzig, 1881), Th. 3, Abth. 2, p. 507; Klimke, *Der Monismus und seine Philosophische Grundlagen* (Fribourg, 1911), p. 265; cf. De Wulf, *Hist. phil. médiévale* (1912), p. 79.

[6] *Ennead.* V, lib. 1 et 2.

immerito omnia deus esse asseritur. Quidquid tamen sit, sententiam istam a Platonis doctrina alienam omnino esse nemo diffitebitur. Sed a Platonis sententia adhuc magis Stoicorum illa discrepat, qua deus unicus, ignis instar cuiusdam intellegentis (πνεῦμα), ipsi mundo quasi anima insitus omnia ineluctabili quadam necessitate generare, determinare, dirigere affirmatur.

Boethium autem a pantheismo siue neo-platonicorum, siue Stoicorum abhorruisse hinc uel praecipue patet, quod quae de anima mundi ipse dicit, ea a Platone profecto desumpserit; etenim maxima cum huius *Timaeo* similitudo per totum istum metrum deprehenditur[1]. Mitto quod ea quae de Deo alibi Boethius dicit, Deum ostendunt a mundo omnino distinctum[2]. Mitto quod ipse Augustinus—quem pantheistam fuisse quis audeat asseuerare?—de Platonis sententia, "nec affirmari," ait[3], "debet ista opinio nisi comperta quod uera sit, nec refelli nisi comperta quod falsa sit."

Sententia igitur Platonis, quam heic refert Boethius, cum iis quae tradunt pantheistae, nihil, praeter ipsum "animae mundi" nomen, uidetur habere commune.

Sed quem pantheistam alii, alii iam dualistam uocant, quod mundum uel saltem materiam perpetuam, Deoque ab aeterno coexsistentem dicat. Cuius quidem rei tunc clariorem puto euasurum esse intellectum, si primo quamnam Boethio doctrinam adscribant aduersarii, deinde quae uera ipsius sit sententia indicauerimus.

Boethius igitur (ita Nitzsch[4] et alii) dolet derelictam iam esse a pluribus (Christianis scilicet) sententiam illam, "cui nemo unquam ueterum refragatus est[5]," nempe "nihil ex nihilo exsistere." Quod quidem principium ueteres illi ita intellexerunt,

[1] Vid. adnotationes ad locum (infra, pp. 81–85). Nitzsch, op. cit. p. 49: "Hier erscheint ein ganzer Abschnitt des Timäus versificirt."

[2] Cf. e.g. quae citantur infra, p. xlvii. Cf. et Nitzsch, op. cit. ibid.

[3] *De Consensu Euang.* c. 23 (§ 35); P.L. XXXIV, 1058. Cf. *Retract.* I, c. 11, § 4; *Contra Priscill. et Orig.* c. 8 (§ 11); *Ciu. Dei* VII, c. 23.

[4] Op. cit. p. 53: "Früher—in der Blüthezeit der Philosophie—kam es Niemanden in den Sinn den Satz zu leugnen: 'aus Nichts wird Nichts.' Heutzutage aber vernimmt man allerdings häufig (von christlichen Theologen) den Satz: 'Gott hat die Welt aus Nichts geschaffen.' Derselbe ist aber unwahr."

[5] *C. Phil.* V, pr. 1, § 5.

ut mundum nonnisi ex praeiacente materia fingi atque componi potuisse affirmarent. Iamuero si derelictam esse dolet istam antiquorum sententiam, eandem ipse se profiteri declarat. Ponit ergo Boethius materiam aeternam, et proinde Deum negat creatorem. Idem inferendum putat Nitzsch[1] ex iis quae de mundo perpetuo Boethius dicit in lib. v, pr. 6, et praeterea ex eo quod nusquam mundum a Deo creari, sed potius formari, fingi, condi, disponi affirmet; quae omnia mundum ex materia quadam informi, Deo utique artifice, compositum esse significant. Ceteroquin Boethium sicut in ceteris ita et in ista sententia Platoni obtemperasse Friderico Nitzsch uidetur uerisimile[2].

Sed nunc quanta iniuria ista omnia asserantur uideamus. Et ab iis sumamus exordium quae ex libro v, pr. 1 obiiciuntur.

Heic nempe agit auctor de casu, qui quomodo definiri debeat quaerit Philosophia. Reiicit ipsa imprimis illorum sententiam qui casum censeant esse "euentum temerario motu nullaque causarum conexione productum[3]." Ita enim casus nihil omnino esset; nam primo temerarius motus, "coercente in ordinem cuncta Deo," nullus esse potest, et deinde sine causa operante nihil fieri nota est ueterum sententia. "Quamquam" ait "id illi non de operante principio, sed de materiali subiecto, hoc omnium de natura rationum quasi quoddam iecerint fundamentum." Boethius autem illud principium ita intellegit ut nihil sine causa operante (seu efficiente) fieri dicatur. Ait enim (§ 6) "Si nullis ex causis aliquid oriatur, id de nihilo ortum esse uidebitur" et infra (§ 10) "(casus) non de nihilo est, nam proprias causas habet." Quid uero de necessitate materialis illius subiecti ipse sentiat, Boethius clare non dicit; non enim de origine mundi heic, sed de casus natura agit.

Sed ubinam dolor, ubi lacrimae quas super Christianis ut antiquorum sententiae reluctantibus fudisse Boethius asseritur? Nusquam, opinor, nisi in quorundam auctorum iudiciis iam prius mente conceptis. Immo et ipse per illud "quamquam," antiquorum doctrinae opponere se potius uidetur.

Sed ad ea nunc uertamus mentem quae de mundo perpetuo tradit philosophus noster. Et reuera attente legenti quae in libro v, pr. 6 de hac re habet, illud imprimis apparebit nusquam

[1] Op. cit. pp. 64–66. [2] Ibid. p. 53. [3] § 4.

sententiam illam mundum esse perpetuum clare et diserte a Boethio proponi uti suam. Nec enim heic de rerum ortu disserere in animo ipsi est; potius id sibi propositum habet ut aeternitatis claram aperiat notionem atque distinctam. Ille enim (sic Boethius[1]) aeternus proprie dicitur et est, qui non tantum durationem habet interminabilem, sed et praeterea totam perfectionis plenitudinem simul possidet. Platoni[2] quidem et Aristoteli[3] placuit mundum nec initium habuisse nec finem esse habiturum; iniuria tamen idcirco mundum diceres aeternum; "non enim totum simul infinitae licet uitae spatium comprehendit atque complectitur," sed successiue per temporis momenta procedit. Melius igitur in tali sententia Deus aeternus, mundus diceretur perpetuus. Attamen tantum abest ut istam Platonis et Aristotelis[4] sententiam ipse amplectatur, ut quid ipse de hac re sentiat consulto reticere uideatur.

Sed nonne Boethius Deo reuelante edoctus mundum in tempore creatum fuisse, Platonis sententiam negare debuit? Minime quidem. Nam philosophus, tractatum scribens philosophicum, ex sola philosophia argumenta desumere debet. Iamuero christianissima est atque ipsius Thomae Aquinatis notissima sententia[5] neminem posse argumentis pure philosophicis demonstrare mundum, etsi creatus sit, in tempore fuisse creatum. Immerito igitur uti philosophus negauisset Boethius magistri sententiam.

Sed, inquies, nonne, si christianus quidem erat, mundum a Deo creatum affirmare debuit? Sed quamnam, quaeso, ob causam? An quia argumentis id sciret philosophicis? Sed ad Albertum Magnum te reuoco qui Deum mundi esse creatorem non nisi ipso reuelante se scire professus est[6]. An ut seipsum esse Christianum irrefragabile tibi praeberet argumentum? Sed fore qui id negaret illum ne suspicatum quidem esse puto. Sed si indicia quaeras quae mundum fuisse creatum saltem innuant,

[1] Ibid. § 2. [2] § 6. [3] § 4.

[4] Quid de mundo aeterno hi reuera docuerint infra dicitur, pp. 169–170.

[5] *Sum. theol.* I, q. 46, art. 1 in corp. "Mundum non semper fuisse sola fide tenetur et demonstratiue probari non potest." Et ita passim. Cf. ibid. ad 8; eiusdem quaestionis art. 2; *De Pot.* q. 3, art. 17; opusculum *De Aeternitate Mundi contra Murmurantes* passim.

[6] Creatio enim iuxta ipsum est opus diuinum seu miraculum in quod "neque cognoscendo neque operando possumus" (cf. *Sent.* II, dist. 18, a. 3, ad 6). Sed de his plura uideas infra, pp. 169–172.

nec illa tibi desunt. Nam nonnunquam minus cautus ea dicit Boethius, quibus Deum se habere omnium creatorem inconsulto tradit. Sic lib. III, pr. 11, § 20: "Dedit prouidentia *creatis* a se rebus hanc uel maximam manendi causam"; lib. III, m. 9, u. 2, dicitur Deus "terrarum caelique sator," quae uerba illa in mentem reuocant quibus incipit liber Geneseos: "In principio creauit Deus caelum et terram"; lib. III, pr. 12, eo demonstrat malum nihil esse quod a Deo factum non sit; unde omnia quae sint (et ipsam materiam) a Deo facta esse merito infertur. Deus demum "unus rerum pater est[1]" omnium rerum "fons et origo[2]."

Frustra demum opposueris uerba illa "formari," "fingi," "condi," "disponi[3]," tanquam ipsa cum creatione componi nequeant. Nonne enim Deus mundum uere formauit, uere finxit, uere condidit, uere disposuit? Nonne et ipsi Ecclesiae patres huiusmodi de Deo creatore uerba usurpant[4]? Nonne et Christiani omnes Deum deprecantur conditorem[5]? Sed saltem, dixerit quispiam, Boethium qui in tot sententiis Platoni obtemperauerit, et in hac re Magistrum esse secutum ueri simile est. Vanum omnino atque futile effugium! Num scholastici, qui tot Platonis et Aristotelis amplexi sunt sententias, et eas exceperunt quae christianae religioni fuerunt contrariae?

Haec est igitur Boethi agendi ratio ut quae ab antiquis bene dicta sint ea adprobet, quae autem Deo contradicant reuelanti, ea neque neget neque affirmet; non affirmat ne fidei refragetur, non negat quia neganda esse non nisi reuelante Deo cognoscit.

Proximum est ut de animarum humanarum origine quid senserit Boethius inquiramus[6]. Et re quidem uera, numquam de hac quaestione ex professo agit. Fatendum tamen est Boethium, dum ea tractat quae ad intellectum pertinent humanum eiusque liberam uoluntatem, ita loqui ac si animam humanam

[1] *C. Phil.* III, m. 6, u. 2, infra, p. 73.

[2] *C. Phil.* IV, m. 6, u. 36, infra, p. 132. Cf. et III, pr. 10, §§ 6, 25 infra, pp. 86, 89.

[3] E.g. III, m. 9, uu. 4–5; I, m. 5, u. 1; IV, pr. 6, § 7; IV, m. 6, u. 34.

[4] Exempla uideas apud Hildebrand, op. cit. pp. 87–89.

[5] Cf. *Breu. Rom.* Hymnum pro Vesperis et Matutino, in Natiuitate Domini: "Memento rerum conditor...," et alibi passim apud poetas christianos.

[6] Ex his praesertim desumit Jourdain contra Boethii christianitatem argumentum. Op. cit. p. 333 et n. 3.

corpori praeexstitisse putet. Ita uerba illa[1]: "Non omne...mente depulit lumen obliuiosam corpus inuehens molem," Platonis resonant sententiam asserentis mentem humanam in corpus detrusam eorum memoriam quodammodo seruare quae ante cognouerit. Immo et Platoni se consentire in prosa sequenti aperte fatetur: "Platoni uehementer assentior." Similia habet lib. v, m. 3[2]. Eadem suadent quae de libero hominis dicit arbitrio: "Humanas uero animas" inquit[3] "liberiores quidem esse necesse est, cum se in mentis diuinae speculatione conseruant: minus uero cum dilabuntur ad corpora."

Sed in his ut Boethius a fide christiana alienus esse ostendatur, frustra quaesiueris argumentum. Mitto iam quod animam corpori reuera praeexsistere diserte non asserat, mitto quod uerba illa sensu omnino orthodoxo explicari, atque in meliorem partem accipi ualeant[4]. Id unum iam contendo, etiamsi affirmauerit pro certo Boethius animas humanas praeexsistere, nondum ipsum a fide recessisse catholica iure argui posse.

Enimuero ad illa nunc te rettulerim quae supra (p. xxxvi) de reuelata doctrina intellectui humano magis in dies innotescente disseruimus; sunt enim haec in re nostra uel maxime attendenda. Nam perardua sane fuit et a clarissimis philosophis cum paganis tum etiam christianis uexata quaestio, animae humanae undenam ortum ducerent. Platoni[5] quidem ipsae nec genitae unquam nec perituraе uisae sunt, corporibus immissae tamquam curribus quibusdam, et quidem ita ut ab uno in aliud, siue nobilius siue deterius, ut quaeque esset merita, successiue transirent. Aristoteli[6] uero saltem mentem (*νοῦν*) corpori praeexsistere, ceteras autem animas, uel animae partes, sensitiuam scilicet et uegetatiuam, propagine per parentes traduci placuit. Similia omnino docebant Neoplatonici, quorum alii uti Plotinus[7] in

[1] *C. Phil.* III, m. 11, uu. 9–10; infra, p. 95.
[2] Infra, p. 146.
[3] *C. Phil.* v, pr. 2, § 5; infra, p. 141.
[4] Acute enim notat Semeria posse quidem haec omnia intellegi de "exigentiis" quibusdam animae, siue altiora intellegendi, siue liberius se uersandi, quibus corpus sit impedimento. Quam tamen explicationem non proponit nisi uti ueri similem (op. cit. pp. 101–102).
[5] *Tim.* 41–42; *Phaedr.* 245 D: *τοῦτο δ' οὔτ' ἀπόλλυσθαι οὔτε γίγνεσθαι δυνατόν*; ib. 248–249; *Meno*, 81–82; *Phaedo*, 72–73, 77, 95, etc.
[6] *De Gener. Anim.* II, c. 3 (Bekker, 736 B, lin. 27–28):
[7] *Ennead.* IV, lib. 4, c. 5; VI, lib. 4, c. 4.

una mundi anima, alii uti Proclus[1], in caelo animas praeexsistere humanas autumabant.

Sed nec Christianorum una semper fuit de hac re sententia. Vt apologetarum Iustini, Athenagorae, aliorum haesitationes omittam, singularem illam designabo Origenis sententiam quam in opere *De Principiis*[2] dubitanter quidem proponit, mentes nempe angelicas, frigescente quo Deum dilexerint amore, frigidas factas seu ψυχάς, in hominum corpora supplicii causa esse detrusas. A qua doctrina toto caelo Tertulliani distabat asserentis animam, utpote et ipsam corporalem, e parentibus in prolem traduci[3]. Sed neque Augustinus, fidei orthodoxae columen atque praesidium, certi quidquam de animae origine statuere ualebat. Hinc enim animas a Deo initio temporis creatas esse dicebat, formatis corporibus postea inserendas[4]. Illinc uero obiicientibus Pelagianis animam humanam quippe a Deo creatam nulla originali labe inquinari posse, eo propterea adducebatur ut a parentibus propagari animam autumaret[5], cui quidem sententiae plerosque eo tempore occidentales fauisse Hieronimus testatur[6]. Nullo tamen tempore non dubitat Augustinus de hac re difficillima quid sit sentiendum. Ita in opusculo *De Anima et eius origine* (lib. II)[7]: "Manet quippe illa quaestio sicut erat, in qua quaeritur de animarum origine, utrum illas Deus ex propagine illius unius quam primo insufflauit homini, an ex statu suo sicut primo homini, det, faciat, fingat hominibus,

[1] *Instit. Theol.* (ed. F. Dübner, Didot; cum Plotino), no. 196, 199, 206.

[2] *De Princ.* II, c. 8, § 3 (ed. P. Koetschau, 1913, tom. V, pp. 158–159): Ἐξ ἀγγελικῆς μὲν καταστάσεως καὶ ἀρχαγγελικῆς ψυχικὴν κατάστασιν γίνεσθαι, ἐκ δὲ ψυχικῆς δαιμονιώδη καὶ ἀνθρωπίνην, ἐκ δὲ ἀνθρωπίνης ἀγγέλους πάλιν καὶ δαίμονας γίνεσθαι, καὶ ἕκαστον τάγμα τῶν οὐρανίων δυνάμεων ἢ ὅλον ἐκ τῶν κάτω, ἢ ἐκ τῶν ἄνω, ἢ ἐκ τῶν ἄνω καὶ τῶν κάτω συνεστηκέναι. Ita scilicet restituitur textus graecus ex anathemate V in Origenem; Conc. Constantinop. (543) (apud Mansi IX, 397; Hefele-Lecl. II (2), p. 1192). Cf. et III, c. 5, § 4 (ed. Koet. p. 275). Cf. et Iustiniani Anathem. in Origenem (scl. ep. ad Mennam Constantinopolitanum, anno 543): Mansi, IX, 488–524; praesertim 489 D–493 A, ubi de praeexsistentia animarum. Vid. etiam Huet, *Orig.* II, c. II, q. 6, art. 4.

[3] *De Anima*, 9, 27, 36 (P.L. II, 702, 738, 755).

[4] *De Gen. ad litt.* VII, c. 24 (§ 35) (P.L. XXXIV, 368).

[5] *Ep.* 190 ad Optatum §§ 15–18 (P.L. XXXIII, 861–864). Reiicit tamen Tertulliani "dementiam" qua animae corporeae esse asserantur (§§ 14–15). Adeo neque ex anima parentum propagari nisi dubitanter admittit. Est enim haec "res naturaliter obscura" (§ 16).

[6] *Ep.* 126, § 1 (P.L. XXII, 1086). De quo cf. et Augustini *Ep.* 190, § 20.

[7] c. 15 (§ 21) (P.L. XLIV, 508).

quas eum dare, facere, fingere fides christiana non dubitat." Et infra (lib. IV[1]): "De origine animarum, quae post primum hominem datae sunt uel dantur hominibus, non sum ausus aliquid definire, quia fateor me nescire." In libro demum Retractationum[2], ea respiciendo quae in *Gen. ad litt.* de hac re scripserat: "Nec tunc," ait, "sciebam nec adhuc scio."

Neque prius sententiam illam, corpori humano praeexsistere animam, doctrinae reuelatae contrariam esse Ecclesia declarauit quam canones, quos in Origenem Iustinianus tulerat, a Vigilio Papa anno 543 adprobati[3], et Priscillianistarum errores a Concilio Bracarensi anno 561 proscripti sunt[4]. Boethius autem quid mirum si in re tam incerta Platonem, quinimmo et ipsum Augustinum secutus hanc sententiam amplexus est? Rei igitur criticae ignaros omnino se produnt qui, dum illud animaduertere praetermittunt quantum in reuelatis penitus intellegendis rimandisque Christiani per saecula profecerint, de cuiuscumque auctoris orthodoxia, nullo temporum seruato discrimine, iuxta eandem normam iudicandum esse arbitrantur.

Quod demum de corporum resurrectione, de gratia diuina homini necessaria Boethius taceat, hoc iis non erit mirandum qui quem sibi Boethius proposuerit finem recte intellexerint. Nec enim totius doctrinae christianae ueluti summam, adeo neque illa omnia unde solatia hauriri ualerent aerumnarum, uerum ea sola quae fini apta essent philosophico tradere uoluit. Iamuero de corporum resurrectione philosophia nihil nos edocet, totum genus humanum sub peccati originalis iugo laborantem redemptore indigere Christo, nec nisi gratia releuari

[1] c. 2 (§ 2) (ibid. 524). [2] I, c. 1, § 3 (P.L. XXXII, 587).

[3] Canon I, Mansi, IX, 533 A. Denzinger, *Enchiridion Symbolorum* (ed. 1913), p. 87.

[4] Can. 6: "Si quis animas humanas dicit prius in coelesti habitatione peccasse et pro hoc in corpora humana in terra deiectas sicut Priscillianus dixit A. S." Denzinger, op. cit. p. 104.

Jourdain (op. cit. p. 333, n. 3), ut ostendat sententiam de qua agitur iam quinquaginta annos ante Boethium natum ab Ecclesia damnatam esse, epistolam citat Leonis I decimam quintam (P.L. LIV, 684 A) scriptam 21 iul. 447, ubi de Priscillianistarum agitur erroribus. Sed perperam, nam imprimis non sufficeret epistola illa ad hoc ut ab Ecclesia damnata habenda esset sententia quam epistolae auctor—quamuis merito—ipse reprobauit. Sed, quod plus est, contra huius epistolae authentiam tanti ponderis argumenta attulit Carl Kuenstle (*Antipriscilliana*, Herder, Freiburg, 1905, pp. 117–126) ut utrum Leonis reuera sit, an cuiusdam post Synodum Bracarensem scribentis, maxime sit dubitandum.

posse diuina, hoc certiores nos facit non iam ratio naturalis sed diuinum eloquium; de his igitur in opere *De Consolatione Philosophiae* nihil erat ponendum.

Et haec quidem hactenus; nisi uero quod Friderico Nitzsch illud praesertim urgendum uisum est Boethium in his quae de malo disputauit ad Pelagii potius quam ad Christi doctrinam accessisse[1]. Quod quidem quomodo iure asseri possit, profecto me fugit. Nam inter tot tamque diuersas quas quaerenti "unde mala?" responsiones reddiderunt philosophi, illam selegit Boethius quae cum in se rectissima, tum etiam doctrinae maxime consona christianae esse uidetur. Antiquorum enim plerosque mala ne in Deum referre cogerentur auctorem, ex materia orta affirmasse constat. Non ita Boethius. "Malum igitur" inquit[2], "nihil est; cum id facere ille (scl. Deus) non possit, qui nihil non potest." Insuper "Est (*i.q.* id exsistit) quod ordinem retinet seruatque naturam; quod uero ab hac deficit, esse etiam quod in sua natura situm est derelinquit[3]." Malum scilicet, cum esse suum a Deo habere non possit, nihil esse hoc ipso ostenditur. Illud praeterea "pure et simpliciter[4]" esse dicitur, quod iuxta suam naturam exsistit seu bonum est. Quam quidem mali definitionem scholastici omnes amplectuntur, dum aiunt: "Bonum et ens conuertuntur," uel dum ait Aquinas[5]: "Sic ergo ipsum esse...est bonum. Oportet ergo quod malum, quod uniuersaliter opponitur bono, opponatur etiam ei quod est esse.... Vnde dico quod id quod est malum non est aliquid." Qui quidem mali sunt homines, illi utique exsistunt, sed eo in esse deficiunt quod mali sint[6]. Quod demum ad peccatum attinet, quod est malum morale, illud refert Boethius ad imbecillitatem quamdam agendi[7], qua homo, a uero bono qui Deus est deflectens, ad alia desideranda[8] miserrime ita delabitur, ut peccati ille seruus recte dicatur et sit[9]. Verissima quidem et uiro christiano dignissima sententia.

Sed quomodo Pelagianus? An quia generi humano uirtutis colendae expeditam omnino tribuat facultatem? Sed hominum plures malos esse asserere non dubitat[10]. An quia diuino homines neget indigere auxilio? Sed est Deus "seruator

[1] Op. cit. p. 68. [2] *C. Phil.* III, pr. 12, § 18. [3] IV, pr. 2, § 25.
[4] Ibid. § 24. [5] *De malo*, q. 1, a. 1 in corp. [6] IV, pr. 2, § 24.
[7] Ibid. §§ 11, 26. [8] IV, pr. 2 et 3 passim.
[9] IV, m. 2, u. 5; V, pr. 2, § 6; cf. Ioh. VIII, 34. [10] IV, pr. 2, § 23.

bonorum...rector ac medicator mentium[1]" qui philosophiam sapientium mentibus inseruit[2], "cuius in minimis quoque rebus diuinum debet praesidium implorari[3]." Immo de oratione praeclare omnino loquitur. Est scilicet ipsa "unicum illud inter homines Deumque commercium[4]," ita ut "iustae humilitatis pretio inaestimabilem uicem diuinae gratiae[5]" promereamur, quo quidem ablato medio, nihil amplius erit "quo summo illi rerum principi conecti atque adhaerere possimus[6]." Sunt haec omnia philosophica, esto! De auxilio illo supernaturali, quod necesse esse Pelagius negauit, de natura humana peccati grauamine inde a natiuitate onusta, de Christo redemptore, de his omnibus tacet philosophus, qui philosophicis tantum se solatur argumentis. Qui tamen doctrinae reuelatae quaedam ueluti uestigia seu indicia in philosophia inuenire uoluerit, his sane quae de malo Boethius tradit clariora uix deprehenderit. Vnde auctorem nostrum ita in hoc libro, uti iam in opusculo illo *De Trinitate*, reuelatam doctrinam "rationibus formatam[7]" tradere uoluisse non immerito dixeris.

Sed de ceteris, quae in hoc libro crebra occurrunt, religionis christianae uestigiis longum est disserere. Quid de Deo dicam qui unus esse passim asseritur[8], cuius omnium rerum scientia cognitioque saepius laudantur[9], qui sua prouidentia liberrimoque[10] consilio "fortiter omnia suauiterque" disponit[11], qui summum illud bonum est cuius solius adeptione beati fiunt homines[12], unus rerum pater[13], omnium fons et origo[14], quem demum cernere est finis[15]? Quid illa commemorem quae de anima humana immortali[16], de arbitrii libertate[17], non iam uoce incerta sicut apud paganos fieri solet, sed quam firmo, quam constanti animo asseuerat atque profitetur? Quid de tot locis, ubi sacras litteras siue ad uerbum siue ad sensum citat[18]? Quid de uocabulis a Boethio usitatis, quibus quasi suis utuntur theologi christiani[19]?

[1] IV, pr. 6, § 23. [2] I, pr. 4, § 5. [3] III, pr. 9, § 25.
[4] V, pr. 3, § 21. [5] Ib. § 22. [6] Ibid.
[7] Cf. supra, p. xxxiv. [8] Cf. praesertim III, pr. 11, §§ 22–23.
[9] V, pr. 4, § 14; V, pr. 6, §§ 14, 16–19, 33, 37. [10] III, m. 9, u. 4.
[11] III, pr. 12, § 15. [12] Ibid. et III, pr. 10, §§ 19 et ibi passim.
[13] III, m. 6, u. 2. [14] IV, m. 6, u. 36. [15] III, m. 9, u. 27. Cf. Ioh. XVII, 3.
[16] II, pr. 4, § 19; pr. 7, § 16; IV, pr. 4, § 17.
[17] IV, pr. 6, § 3; V, pr. 3, § 2; V, pr. 4, § 3.
[18] Indicem biblicum uideas infra, p. 204.
[19] E.g. "gratia diuina" (V, pr. 3, § 22); "praedestinatio diuina" (IV, pr. 6, § 3); "arbitrii libertas" (IV, pr. 6, § 3 et alibi saepe).

Nempe de Philosophiae Consolatione hoc est opus; reuelatam igitur doctrinam ibi inuenire ne postulaueris, sed philosophiam satis habeas tradi christianam. Sed illa quaenam? An Platonis, an Aristotelis, an Neoplatonicorum? Nullius, inquam, iurat Christianus nisi in Christi uerba magistri. Est ergo Boethius in illis Platonis[1] assecla, ubi Christo Plato non contradicit; Aristoteli[2] in multis obsequitur, nec tamen Ecclesiae obsequio subducto; Stoicorum[3] nonnulla dum excipit, spiritu tamen lenit christiano; a Neoplatonicorum[4] demum influxu ita non est omnino solutus, ut tamen ea sola a Proclo praesertim desumat quae doctrinae christianae conueniant. Neque enim quae pagani recte dixerunt et uere, illa facere sua Christiani erubescunt, nam sanae philosophiae reuelata doctrina contraria esse nequit, siquidem sicuti gratia naturam, ita philosophiam reuelatio non modo non destruit, sed firmat potius atque perficit. Sed per omnia sub philosopho theologum latere christianum[5] intellegat oportet qui hoc opus diligenter perlegerit; uel si magis placet, philosopho adstare theologum, qui errantem corrigat, uera asserentem corroboret atque confirmet.

Et haec quidem disputasse satis est. Metuo enim ne plura disserenti illud quis mihi obiiciat: "Intellexeram si tacuisses." Adeas igitur, candide lector, Boethium christianum, ut ab eo quam efficax Philosophia alumnis maerentibus remedium largiatur ediscas.

[1] De Platone maxima cum reuerentia semper loquitur. Cf. I, pr. 4, § 4; I, pr. 3, § 4; III, pr. 9, § 25; III, pr. 12, § 1; III, pr. 12, § 24. Quot eiusdem exceperit sententias ex infra dicendis apparebit.

[2] Et Aristoteles laudatur, licet paullo minus. *C. Phil.* V, pr. 1, § 8: "Aristoteles meus." Voluit Boethius "Aristotelis Platonisque sententias in unam quodammodo reuocare concordiam" et demonstrare hos "in plerisque quae sunt in philosophia maxime consentire" (*lib. de Interpret.* ed. 2, lib. II; P.L. LXIV, 433 D).

[3] Ita e Seneca multa desumpsit, cf. infra, indicem auct.

Seuere quidem loquitur contra "epicureum uulgus ac stoicum" (I, pr. 3, § 4; V, m. 4, uu. 1–9); attamen plura, in iis praesertim quae ad moralem doctrinam pertinent, a Stoicis Boethium mutuatum esse perspicuum est. Cf. IV, pr. 4, § 22; I, m. 7, uu. 20–31; II, pr. 5–7 et III, pr. 3–7. Videas et adnotationes ad locos citatos.

[4] Vid. adnotationes infra passim. Cf. Appendicem I, infra, pp. 165–168.

[5] Quem tamen e latebris erumpere nonnunquam dixeris, uti cum citanti Magistrae uerba Scripturae respondet Boethius: "Multo magis haec ipsa quibus uteris uerba delectant" (III, pr. 12, § 15).

DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIAE

DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIAE

LIBER PRIMVS

[I. AEGRITVDO BOETHI]

METRVM I

Boethius dolet fortunam aduersam

CARMINA qui quondam studio florente peregi,
flebilis heu maestos cogor inire modos.
Ecce mihi lacerae dictant scribenda camenae
et ueris elegi fletibus ora rigant.
Has saltem nullus potuit peruincere terror,
ne nostrum comites prosequerentur iter.
Gloria felicis olim uiridisque iuuentae
solantur maesti nunc mea fata senis.
Venit enim properata malis inopina senectus
et dolor aetatem iussit inesse suam.
Intempestiui funduntur uertice cani

M. I, 7 *olim* Vall. Ob. Eng. (p. 53); Pp. *quondam*. 8 *solantur* Vall. Pp. Ob.; alii *solatur*.

Metrum I elegiacum.

1 *Carmina peregi*. Anecd. Holderi: "condidit et carmen bucolicum." Robertus Cessi in *Rerum Ital. Script.* nouae ser. XXIV, parte 4 (p. CXXXVII) suspicatur nonnulla horum metrorum iam antea scripta et collecta a Boethio, haec ergo esse carmen bucolicum de quo Anecdoton.

2 *flebilis*. Ouidi *Trist.* V, 1, 5: "flebilis ut noster status est, ita flebile carmen."

1–4 citat Waldrammus Eppus Argentinensis († c. 905) in poemate elegiaco ad Salomonem Constantiensem (P.L. CXXXII, 572 B). Cfr. Chaucer, *Troilus and Criseyde*, V, 1373–1379 (ed. W. Skeat, Oxon. p. 318).

3–4 Cfr. *Aen.* VI, 699; IX, 251; *Octauiam* (inter tragoedias Senecae) 339–340: "(Augusta) laceratque comas rigat et moestis fletibus ora."

6 Ouidi *Trist.* IV, 1, 20.

7 *felicis olim*. Vltima syll. 'felicis' prolongata ante caesuram. Sic Boethius qui saepius admittit anomalum metrum. 'Quondam' emendatum ab editoribus (cfr. Eng. l.c. p. 53).

8 Ouidi *Pont.* I, 4, 19–20.

9 *properata malis senectus*. Diog. Laert. IV, c. 7, *Bion*: τὸ γῆρας ἔλεγεν ὅρμον εἶναι τῶν κακῶν· εἰς αὐτὸ γοῦν πάντα καταφεύγειν (ed. Cobet, ap. Didot, p. 105, 32–33).

et tremit effeto corpore laxa cutis.
Mors hominum felix quae se nec dulcibus annis
inserit et maestis saepe uocata uenit.
Eheu quam surda miseros auertitur aure
et flentes oculos claudere saeua negat.
Dum leuibus male fida bonis fortuna faueret,
paene caput tristis merserat hora meum.
Nunc quia fallacem mutauit nubila uultum,
protrahit ingratas impia uita moras.
Quid me felicem totiens iactastis amici?
Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.

PROSA I

Apparet Philosophia quae fugat Musas, plorat casum Boethi

Describitur Philosophia.

§ 1 Haec dum mecum tacitus ipse reputarem, querimoniamque lacrimabilem stili officio signarem, adstitisse mihi supra uerticem uisa est mulier reuerendi admodum uultus, oculis ardentibus et ultra communem hominum ualentiam perspicacibus, colore uiuido atque inexhausti uigoris, quamuis ita aeui plena foret ut nullo modo nostrae crederetur aetatis; statura discretionis ambiguae.

2 Nam nunc quidem ad communem sese hominum mensuram cohibebat, nunc uero pulsare caelum summi uer-

---

Pr. I, 2 *signarem* Eng. (p. 39); alii *designarem* (Pp. et Ob. n.).

Pr. I, § 1 *uisa est mulier*. Cfr. Virtutem apparentem Herculi, Xen. *Memor.* II, c. I, § 22.

§ 2 *statura Philosophiae*. Brunettus de Latinis, *Li Livres dou Tresor*, L. I, p. I, cap. I: "Por ce dit Boeces au livre de sa Consolation qu'il la vit en semblance de dame, en tel habit et en si très mervilleuse puissance que ele croissoit quant il li plaisoit, tant que ses chiés montoit sor les estoiles et ataignoit au ciel, et porvéoit amont et aval selonc droit et selonc verité" (ed. P. Chabaille, Parisiis, 1863, p. 3). Idem Brunettus imitatur locum describens Naturam, *Tesoretto*, cap. III, 26–32:

"ed ella mi sembiava
come fosse incarnata
talora sfigurata.
Talor toccava il cielo,
sì che parea suo velo,
e talor lo mutava,
e talor lo turbava"

(ed. G. B. Zannoni, Florentiae, 1824, pp. 19–20).

ticis cacumine uidebatur; quae cum altius caput extu- 10
lisset, ipsum etiam caelum penetrabat, respicientiumque
3 hominum frustrabatur intuitum. Vestes erant tenuis-
simis filis, subtili artificio, indissolubili materia per-
fectae, quas, uti post eadem prodente cognoui, suis
manibus ipsa texuerat. Quarum speciem, ueluti fumosas 15
imagines solet, caligo quaedam neglectae uetustatis ob-
4 duxerat. Harum in extrema margine Π graecum, in
supremo uero Θ legebatur intextum. Atque in utrasque
litteras in scalarum modum gradus quidam insigniti
uidebantur, quibus ab inferiore ad superius elementum 20
5 esset ascensus. Eandem tamen uestem uiolentorum
quorundam sciderant manus, et particulas quas quisque
potuit abstulerant. Et dextera quidem eius libellos,
sceptrum uero sinistra gestabat.

*Philo-
sophia
pellit
Musas.*

6 Quae ubi poeticas Musas uidit nostro adsistentes toro, 25

13 *indissolubili*, Vall. *indissolubilique*. 17 *graecum* Vall. Ob. omittit. 18 *in* Eng. (p. 39); Ob. *inter*.

Cfr. Henrici Septimellensis *Elegiam* (P.L. CCIV, 843–868), III, 1–6; Alani de Insulis *Lib. de planctu Naturae* (P.L. CCX, 432). *pulsare caelum.* Hor. *Carm.* I, 1, 36; Martialis VIII *Epigr.* XXXVI, 11: "uertice sidera pulsat."

§ 4 Π, Θ. Sc. *πρακτική, θεωρητική.* Boethius, *in Porph. dial. a Vict. transl.* I: "est enim philosophia genus, species uero eius duae, una quae *θεωρητικὴ* dicitur, altera quae *πρακτική*, id est, speculatiua et actiua" (P.L. LXIV, 11 A–B). Aristot. *Metaph.* I (*ἔλαττον*, 1): *ὀρθῶς δ' ἔχει καὶ τὸ καλεῖσθαι τὴν φιλοσοφίαν ἐπιστήμην τῆς ἀληθείας. θεωρητικῆς μὲν γὰρ τέλος ἀλήθεια, πρακτικῆς δ' ἔργον* (Bekker, II, 993, col. B, 19–21). Cfr. Zeller, *Phil. der Gr.* III [2], 859, n. 4. Hieroclis *comm. in aur. carm.* prooem.: *περιέχει γὰρ πάσης φιλοσοφίας πρακτικῆς τε καὶ θεωρητικῆς τὰ καθόλου δόγματα* (ed. Mullach, *Fragm. Phil. gr.*, Didot, I, 416). Cfr. Senecae ep. 95, 10: "Philosophia autem et contemplatiua est et actiua; spectat simul agitque." Aug. *Ciu. Dei*, VIII, 4; Cassiod. *Var.* I, ep. 45 (P.L. LXIX, 539 C).
gradus quidam. Sunt regulae quibus oboediendo homo adscendit ad philosophiam; e. gr. quas tradit Hierocles, *comm. in aur. carm.* XIX, sub v. 40–44 (Mullach, l.c. I, 460). Ergo, "in utrasque litteras," non "inter."

§ 5 *uestem uiolentorum sciderant manus.* Sectatores scholarum discerpserunt philosophiam. Cicero, *de Orat.* III, c. 16, § 61: "Proseminatae sunt quasi familiae dissentientes inter se et multum disiunctae et dispares, cum tamen omnes se philosophi socraticos et dici uellent et esse arbitrarentur."

§ 6 *Phil. pellit Musas.* Cfr. Plat. *Rep.* X (605–607); Cic. *Tuscul.* II, 11 (27); *Ciu. Dei*, II, 14.

fletibusque meis uerba dictantes, commota paulisper ac
7 toruis inflammata luminibus: Quis, inquit, has scenicas
meretriculas ad hunc aegrum permisit accedere, quae
dolores eius non modo nullis remediis fouerent, uerum
dulcibus insuper alerent uenenis? Hae sunt enim quae
infructuosis affectum spinis uberem fructibus rationis
segetem necant, hominumque mentes adsuefaciunt mor-
8 bo, non liberant. At si quem profanum, uti uulgo solitum
uobis, blanditiae uestrae detraherent, minus moleste
ferendum putarem; nihil quippe in eo nostrae operae
laederentur. Hunc uero eleaticis atque academicis stu-
9 diis innutritum? Sed abite potius, Sirenes usque in
exitum dulces, meisque eum Musis curandum sanan-
10 dumque relinquite. His ille chorus increpitus deiecit
humi maestior uultum, confessusque rubore uerecun-
diam limen tristis excessit.

Incipit solatium.

11 At ego cuius acies lacrimis mersa caligaret nec dino-
scere possem quaenam haec esset mulier tam imperiosae
auctoritatis, obstipui uisuque in terram defixo, quidnam
12 deinceps esset actura exspectare tacitus coepi. Tum illa

31 *affectum*, Vall. Ob. *affectuum*. 34 *uobis*, Ob. *nobis*. 38 *exitum*, Ob. *exitium*. 42 *caligaret nec*, Ob. *caligauerat ne*; Vall. *caligarat ne*.

§ 7 Brunettus de Latinis, *Li Livres dou Tresor*, L. II, p. II, cap. 54: (Boeces dit) "mais li faus ami portent flaterie en leu de conseil, et toute lor entencions est à decoivre soef" (ed. P. Chabaille, Parisiis, 1863, p. 350).

§ 8 *Elea et Academia*. Eleae (Ἐλέα, Velia in Lucania) docuit Xenophanes, saec. VI ante Xt., quare schola eius dicta eleatica. Academia est schola Platonis. Zeller dicit eleatica studia haec esse dialecticam, nil amplius, Boethium igitur hoc loco se adnumerare academicis, sc. platonicis (*Phil. der Gr.* III [2], p. 858, n. 3).

§ 9 *Sirenes dulces*. Locus citatur a Nicolao monacho claraeuallensi (S. Bernardi ab epistolis) in sermone: "Olim mihi Tullius dulcescebat, blandiebantur carmina poetarum, philosophi uerbis aureis insplendebant et Sirenes usque in exitium dulces meum incantauerant intellectum" (inter sermones s. Petri Damiani post serm. LXI, P.L. CXLIV, 852 D). Caietanus posuit hunc et alios eiusdem Nicolai inter sermones Petri Damiani, male, cum concionator nominet Bernardum. Hinc Arturus Graf (*Roma nella memoria*, p. 491) locum citat ut Petri, addito falso indice serm. XLI; quo in errore ac in falso indice eum sequitur R. Murari (*Dante e Boezio*, p. 269).

§ 10 *deiecit uultum*. *Aen.* III, 320.

propius accedens in extrema lectuli mei parte consedit, meumque intuens uultum luctu grauem atque in humum maerore deiectum, his uersibus de nostrae mentis perturbatione conquesta est.

METRVM II

Philosophia commemorat pristinam Boethi sapientiam

Heu quam praecipiti mersa profundo
mens hebet, et propria luce relicta
tendit in externas ire tenebras,
terrenis quotiens flatibus aucta
crescit in immensum noxia cura.
Hic quondam caelo liber aperto
suetus in aetherios ire meatus
cernebat rosei lumina solis,
uisebat gelidae sidera lunae,
et quaecumque uagos stella recursus
exercet uarios flexa per orbes,
comprensam numeris uictor habebat.
Quin etiam causas unde sonora
flamina sollicitent aequora ponti,

M. II, 4 *aucta*, Pp. Ob. (not.) *acta*. 12 *numeris*, Vall. *in numeris*.

Metrum II compositum e prima pentametri parte cum adonio:

– ⏑⏑ | – ⏑⏑ | – ‖ – ⏑⏑ | – ⏑̆ |

ImitaturLiudprandus cremonensis: *Antapodosis* II,26 (M.G.H. v, 293). Id. Alanus de Insulis, *Lib. de planctu Naturae*:

"Heu quam praecipiti passu ruinam
uirtus sub uitio uicta laborat"

(P.L. CCX, 460).

1–5 *mens hebet terrenis flatibus aucta* (*acta*). Cfr. Mc. XIV, 38; *Purg.* XI, 100–101.

6–23 Cfr. Hor. *Ep.* I, 12, 16–19:

"Quae mare compescant causae, quid temperet annum,
stellae sponte sua iussaene uagentur et errent,
quid premat obscurum lunae, quid proferat orbem,
quid uelit et possit rerum concordia discors."

Senecae *Phaedr.* 974–979:

"Vt nunc canae frigore brumae
nudent siluas,
nunc arbustis redeant umbrae,
nunc aestiui colla leonis
cererem magno feruore coquant
uiresque suas temperet annus."

quis uoluat stabilem spiritus orbem,
uel cur hesperias sidus in undas
casurum rutilo surgat ab ortu,
quid ueris placidas temperet horas,
ut terram roseis floribus ornet,
quis dedit ut pleno fertilis anno
autumnus grauidis influat uuis,
rimari solitus, atque latentis
naturae uarias reddere causas.
Nunc iacet effeto lumine mentis,
et pressus grauibus colla catenis
decliuemque gerens pondere uultum
cogitur heu stolidam cernere terram.

PROSA II

Boethio lethargum patienti terget oculos

Interrogat eum de morbo.

§ 1 Sed medicinae, inquit, tempus est quam querelae. Tum
2 uero totis in me intenta luminibus: Tune ille es, ait, qui nostro quondam lacte nutritus, nostris educatus alimentis, in uirilis animi robur euaseras? Atqui talia contuleramus arma quae, nisi prior abiecisses, inuicta te firmitate tuerentur. Agnoscisne me? Quid taces? Pudore an stupore siluisti? Mallem pudore; sed te, ut uideo, stupor oppressit.

Lethargus Boethi.

3 Cumque me non modo tacitum sed elinguem prorsus

Pr. II, 19 et 21 Pp. in fine ponit interrogatiu.: "*ornet?*," "*uuis?*"; Eng. delet (p. 29). Pr. II, 1 *quam*, Ob. *non*.
5 *prior*, Vall. *prius*.

24–27 *Nunc iacet...cogitur stolidam cernere terram.* Cfr. Sap. IX, 15; Rom. VII, 24. Albertani Brixiensis *Lib. consol. et consili*, cap. 2 (loq. Prudentia):

"Stulte cur insanis, quid te dolor urget inanis?
acquirit gemitus praemia nulla tuus"

(ed. T. Sundby, Lond. 1873, p. 3).

Pr. II, § 2 *Tune ille es...* Dantes imitatur, *Purg.* XXX, 115–XXXI, 6. *Agnoscisne me?* Cfr. *Purg.* XXX, 73: "Guardaci ben: ben sem, ben sem Beatrice."

§ 3 *me tacitum, elinguem.* Cfr. *Purg.* XXXI, 7–9:

"era la mia virtù tanto confusa,
che la voce si mosse, e pria si spense
che dagli organi suoi fosse dischiusa."

mutumque uidisset, admouit pectori meo leniter manum, et, Nihil, inquit, pericli est, lethargum patitur, communem inlusarum mentium morbum. Sui paulisper oblitus est, recordabitur facile, si quidem nos ante cognouerit. Quod ut possit, paulisper lumina eius mortalium rerum nube caligantia tergamus. Haec dixit, oculosque meos fletibus undantes contracta in rugam ueste siccauit.

METRVM III

Ad Boethium redit spes cum luce

Tunc me discussa liquerunt nocte tenebrae
luminibusque prior rediit uigor.
Vt, cum praecipiti glomerantur sidera coro
nimbosisque polus stetit imbribus,
sol latet ac nondum caelo uenientibus astris,
desuper in terram nox funditur;
hanc si threicio boreas emissus ab antro
uerberet et clausam reseret diem,
emicat et subito uibratus lumine Phoebus
mirantes oculos radiis ferit.

PROSA III

Omnes philosophi a uulgo uexantur

§ 1 Haud aliter, tristitiae nebulis dissolutis, hausi caelum, et ad cognoscendam medicantis faciem mentem recepi. *Philosophia non deserit alumnum.*

M. III, 3 *sidera* Ob. Eng. (p. 49); Pp. *nubila*. 9 *et* Ob. Eng. (p. 49); Pp. *ut*; alii *ac* (Pp. n.).

lethargum. Cfr. Chaucer, *Troilus and Criseyde*, I, 730: "What? slombrestow as in a lytargye?"

§ 4 *oculos siccauit*. Properti lib. III (IV), eleg. 6 (5), 17: "umidaque inpressa siccabat lumina lana."

Metrum III: alcmanium, sc. hexametri cum alternis tetrametris dactylicis (cfr. Hor. *Carm.* I, 7, 28; *Epod.* 12):

– ⏑⏑ | – ⏑⏑ | – ⏑⏑ | – ⏑⏑ | – ⏑⏑ | – ×
– ⏑⏑ | – ⏑⏑ | – ⏑⏑ | – ⏑⏑

Imitatur Liudprandus crem. *Antap.* IV, 18:

"Regnandi tibi quid iuuenum tam dira cupido
optime Saxigenum? Prohibet Deus" etc.
(M.G.H. V, 320–321).

1 (Sen.) *Herc. Oet.* 337: "nocte discussa." Cfr. *Med.* 68, *Thy.* 899.
3 Sen. *Phaedr.* 745: "ocior nubes glomerante coro."
7 *threicio boreas emissus ab antro*. *Aen.* I, 52–63.
10 Cfr. Sil. Ital. III, 694.

Itaque ubi in eam deduxi oculos intuitumque defixi, respicio nutricem meam, cuius ab adulescentia laribus
2 obuersatus fueram, Philosophiam. Et quid, inquam, tu in has exsilii nostri solitudines, o omnium magistra uirtutum, supero cardine delapsa uenisti? An ut tu quoque
3 mecum rea falsis criminationibus agiteris? An, inquit illa, te alumne desererem, nec sarcinam quam mei nominis inuidia sustulisti, communicato tecum labore, partirer? Atqui Philosophiae fas non erat incomitatum relinquere iter innocentis; meam scilicet criminationem uererer et, quasi nouum aliquid accideret, perhorrescerem?

Perenne certamen inter sapientiam et stultitiam.

4 Nunc enim primum censes apud improbos mores lacessitam periculis esse sapientiam? Nonne apud ueteres quoque ante nostri Platonis aetatem magnum saepe certamen cum stultitiae temeritate certauimus, eodemque superstite praeceptor eius Socrates iniustae uictoriam
5 mortis me adstante promeruit? Cuius hereditatem cum deinceps epicureum uulgus ac stoicum ceterique pro sua quisque parte raptum ire molirentur, meque reclamantem renitentemque uelut in partem praedae traherent, uestem quam meis texueram manibus disciderunt, abreptisque ab ea panniculis totam me sibi cessisse cre-

Quo modo discissa uestis Philosophiae.

Pr. III, 13 *accideret* Eng. (p. 34); Pp. et Ob. *acciderit*.
23 *traherent*, Ob. *detraherent*.

Pr. III, § 1 *respicio nutricem meam*... Imitatur Dantes, *Purg.* XXX, 34–42 (Murari, p. 258).

§ 2 Sic *Inf.* II, 76–93, Beatrix apparet Vergilio. Eaedem locutiones: "o donna di virtù" (o omnium magistra uirtutum); Verg. quaerit cur descenderit, timet ne polluatur: "dall' ampio loco..." (supero cardine delapsa).
supero cardine delapsa. Sic, teste Themistio (*Orat.* 21: Βασανιστής): Σωκράτης δὲ ἐκεῖνος ὁ Σωφρονίσκου (λέγει σοφίαν) θεία μοίρᾳ μόνῃ παραγενέσθαι ἐς ἀνθρώπους. *Them. orationes* ed. G. Dindorf, Lipsiae, 1832, p. 299 (=ed. Harduin, Parisiis, 1684, p. 246 B).

§ 5 *epicureum uulgus.* "Epicuri disciplina multo celebrior semper fuit quam caeterorum, non quia ueri aliquid asserat, sed quia multos populare nomen uoluptatis inuitat. Nemo enim non in uitia pronus est." Lactantius, *Diuin. Instit.* III, 17, § 2, CSEL. XIX, p. 228. Iudicium forte parum aequum, sed tunc temporis uulgatum. Obserua Boethium eidem contemptui habere Stoicos.

6 dentes abiere. In quibus quoniam quaedam nostri habitus uestigia uidebantur, meos esse familiares inprudentia rata nonnullos eorum profanae multitudinis
7 errore peruertit. Quod si nec Anaxagorae fugam, nec Socratis uenenum, nec Zenonis tormenta, quoniam sunt peregrina, nouisti; at Canios, at Senecas, at Soranos, quorum nec peruetusta nec incelebris memoria est, scire potuisti. Quos nihil aliud in cladem detraxit nisi quod nostris moribus instituti studiis improborum dis-
8 simillimi uidebantur. Itaque nihil est quod admirere, si in hoc uitae salo circumflantibus agitemur procellis, quibus hoc maxime propositum est pessimis displicere.
9 Quorum quidem tametsi est numerosus exercitus, spernendus tamen est; quoniam nullo duce regitur, sed errore tantum temere ac passim limphante raptatur. Qui si quando contra nos aciem struens ualentior incubuerit, nostra quidem dux copias suas in arcem contrahit, illi uero circa diripiendas inutiles sarcinulas occupantur. At nos desuper inridemus uilissima rerum quaeque rapientes, securi totius furiosi tumultus, eoque uallo muniti quo grassanti stultitiae adspirare fas non sit.

Spernendum uulgus.

§ 7 *Anaxagoras*, philosophus ionius (ante Xt. 500–428), reus impietatis pulsus Athenis anno 450 ante Xt. De eo Diog. Laert. II, 3.
Zeno eleates, discipulus Parmenidis (saec. VI ante Xt.), conatus reddere libertatem ciuitati Eleae, dicitur periisse cruciatus a Nearcho tyranno. Diog. Laert. IX, 5; Valeri Maximi *Fact. et dict. memor.* III, c. 3, extr. 2 (Tb. 1888, pp. 131–132); Cic. *Nat. Deor.* III, c. 33 (§ 82); *Tusc. disp.* II, c. 22 (§ 52).
Canius (Canus) Iulius, stoicus romanus, altercatus cum Imp. Gaio (Caligula, 37–41 a.D.), iussu Gaii interfectus. Sen. *Dial.* IX (*de tranquill.*), c. 14, 4–10.
L. Annaeus Seneca, stoicus cordubensis (c. 4 ante Xt.–65 a.D.), reus coniurationis C. Calpurni Pisonis, a.D. 65, iussu Neronis sanguinem misit. Tac. *Ann.* XV, 60–63.
Barea Soranus, stoicus romanus, proconsul Asiae c. a.D. 61–62, reus coniurationis damnatur capitis a Nerone, a.D. 66. Dionis Cassi lib. LXII, 26; Taciti *Ann.* XVI, 23, 30–33; *Hist.* IV, 10.

§ 8 *agitemur procellis*. *Par.* XXXI, 30: "guarda quaggiù alla nostra procella."

§ 9 *numerosus exercitus*. Cfr. Eccl. I, 15.

METRVM IV

Sapiens periculo non mouetur

Quisquis composito serenus aeuo
fatum sub pedibus dedit superbum,
fortunamque tuens utramque rectus
inuictum potuit tenere uultum,
non illum rabies minaeque ponti
uersum funditus excitantis aestum,
nec ruptis quotiens uagus caminis
torquet fumificos Veseuus ignes,
aut celsas soliti ferire turres
ardentis uia fulminis mouebit.
Quid tantum miseri feros tyrannos
mirantur sine uiribus furentes?
Nec speres aliquid nec extimescas,
exarmaueris impotentis iram.
At quisquis trepidus pauet uel optat,
quod non sit stabilis suique iuris,
abiecit clipeum locoque motus
nectit qua ualeat trahi catenam.

M. IV, 2 *dedit*, Ob. *agit, egit* (n.). 6 *excitantis*, Ob. *exagitantis, agitantis* (n.); male, ait Vall. 11 *feros*, multi codd. *saeuos*; male, ait Vall.

Metrum IV phalaecium, sc. spond. dact. 3 troch. (cfr. M. Capella v, § 517; Tb. p. 171):

– – | – ◡ ◡ | – ‖ ◡ | – ◡ | – ◡

2 *Georg.* II, 491–492. (Sen.) *Herc. Oet.* 107–108:
"Quisquis sub pedibus fata rapacia
et puppim posuit fluminis ultimi."

5–14 Hor. *Carm.* III, 3, 1–8.

9 Hor. *Carm.* II, 10, 11–12:
"Decidunt turres feriuntque summos
fulgura montes."
(Sen.) *Agam.* 96: "feriunt celsos fulmina colles."

10 Sen. *Thy.* 358–359:
"Quem non concutiet cadens
obliqui uia fulminis."

13 Principium Stoicorum. Epicteti *Enchir.* 14, § 2: ὅστις οὖν ἐλεύθερος εἶναι βούλεται μήτε θελέτω τι μήτε φευγέτω τι τῶν ἐπ' ἄλλοις· εἰ δὲ μή, δουλεύειν ἀνάγκη (Tb. 1916, p. 13*). Sen. dial. VII (*de uita beata*), 5, 1: "Potest beatus dici qui nec cupit nec timet beneficio rationis." Cfr. Martialis *Epigr.* X, 47, 12–13. Similia ap. Platonem, e. gr. *Phileb.* 45 E, *Phaed.* 68.

PROSA IV

Apologia Boethi. Historia eius malorum

1 Sentisne, inquit, haec atque animo inlabuntur tuo, an ὄνος λύρας? Quid fles, quid lacrimis manas? Ἐξαύδα, μὴ κεῦθε νόῳ. Si operam medicantis exspectas, oportet uulnus detegas. *Detegendum uulnus.*

2 Tum ego collecto in uires animo: Anne adhuc eget admonitione, nec per se satis eminet fortunae in nos saeuientis asperitas? Nihilne te ipsa loci facies mouet? Haecine est bibliotheca, quam certissimam tibi sedem nostris in laribus ipsa delegeras, in qua mecum saepe residens de humanarum diuinarumque rerum scientia 3 disserebas? Talis habitus talisque uultus erat, cum *Boethius semper secutus philosophiam.*

Pr. IV. *Conv.* I, 2 (ll. 95–101): "Questa necessità mosse Boezio di se medesimo a parlare, acciocchè sotto pretesto di consolazione scusasse la perpetuale infamia del suo esilio, mostrando quello essere ingiusto: poichè altro scusatore non si levava."

§ 1 Ὄνος λύρας, *asinus lyrae*; sc. hebes ut asinus cui pulsatur lyra. Prouerbium graecum. M. Terentius Varro scripsit poema cui titulus Ὄνος λύρας (*Satur. Menipp.* Tb. 1865, pp. 178–183). Inter fragmenta quae exstant et hoc:

> "Si quis μελωδεῖν [hic in]est ὄνος λύρας,
> praesepibus se retineat forensibus" (ib. p. 179).

Mart. Capella VIII, § 807: "ni ὄνος λύρας, καιρὸν γνῶθι" (Tb. 1866, p. 299). R. Agricola citat prouerbium: Ἄρα εἶ ὄνος πρὸς λύραν (P.L. LXIII, 914 C). Hieronymus: "Verum est illud apud Graecos prouerbium ὄνῳ λύρα" (ep. LXI, ad Vigilantium, § 4, CSEL. LIV, p. 581, l. 7). Cfr. ep. XXVII, ad Marcellam, § 1 (CSEL. LIV, p. 224, l. 3). Plurima leges de hoc prouerbio in *Adagiis* Des. Erasmi, no. XXXV: "Asinus ad lyram. Ὄνος λύρας, subaudi ἀκροάτης, i.e. Asinus lyrae auscultator. In eos qui propter imperitiam nullo sunt iudicio, crassisque auribus" (Erasmi Opp. omn. Lugd. Bat. 1703, tom. II, col. 164–165). Cfr. ib. col. 980–981. Chil. IV, cent. I, prou. 47: Ὄνος πρὸς αὐλόν. Ὄνος λύρας ἤκουσε καὶ σάλπιγγος ὗς. Chaucer, *Troilus and Criseyde*, I, 731: "Or artow lyk an asse to the harpe" (ed. Skeat, p. 216).

ἐξαύδα... "Loquere, ne tegas mente." *Il.* I, 363, Thetis Achilli deflenti Briseida raptam ab Agamemnone: ἐξαύδα, μὴ κεῦθε νόῳ, ἵνα εἴδομεν ἄμφω. Imitatur Dantes, *Purg.* XXXI, 5–6 (cfr. Murari, p. 262).

oportet uulnus detegas. Cfr. Boethium *contra Eut. et Nest.* (ed. Peiper, Tb. 1871, pp. 187–188, ll. 41–42): "quasi non deterior fiat inscientiae causa, dum tegitur."

§ 2 *diuinarumque rerum.* Boethius sc. disserebat de diuinis rebus in opusculis sacris. Ita titulus operis Cassiodori: "De In-

tecum naturae secreta rimarer, cum mihi siderum uias radio describeres, cum mores nostros totiusque uitae
4 rationem ad caelestis ordinis exempla formares? Haecine praemia referimus tibi obsequentes? Atqui tu hanc sententiam Platonis ore sanxisti: Beatas fore res publicas, si eas uel studiosi sapientiae regerent, uel earum rectores studere sapientiae contigisset. Tu eiusdem uiri ore hanc sapientibus capessendae rei publicae necessariam causam esse monuisti, ne improbis flagitiosisque ciuibus urbium relicta gubernacula pestem bonis ac per-
5 niciem ferrent. Hanc igitur auctoritatem secutus, quod a te inter secreta otia didiceram, transferre in actum publicae administrationis optaui. Tu mihi et qui te sapientium mentibus inseruit Deus conscii, nullum me ad magistratum nisi commune bonorum omnium stu-
6 dium detulisse. Inde cum improbis graues inexorabilesque discordiae, et quod conscientiae libertas habet, pro tuendo iure spreta potentiorum semper offensio.

Protexerat oppressos.

7 Quotiens ego Conigastum in inbecilli cuiusque for-

Pr. IV, 22 *ferrent*, Vall. *inferrent*. 29 *potentiorum*, Ob. *potentum*. 31 *inbecilli*, Ob. *inbecillis*.

---

stitutione diuinarum literarum." Vnde et hinc argumentum pro authentia opusc. sacrorum. Cfr. p. xxviii, n. 2.

§ 4 *hanc sent. Platonis.* Ἐὰν μὴ, ἦν δ' ἐγὼ, ἢ οἱ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν ἐν ταῖς πόλεσιν, ἢ οἱ βασιλῆς τε νῦν λεγόμενοι καὶ δυνάσται φιλοσοφήσωσι γνησίως τε καὶ ἱκανῶς, καὶ τοῦτο εἰς ταὐτὸν ξυμπέσῃ, δύναμίς τε πολιτικὴ καὶ φιλοσοφία, κ.τ.λ. *Rep.* V, 473 C–D.

Sic et Prudentius:

"Nimirum pulchre quidam doctissimus: esset publica res, inquit, tunc fortunata satis, si uel reges saperent, uel regnarent sapientes."

Lib. I, *c. Symm.* 30–32 (P.L. LX, 119–120).

eiusdem uiri ore. Rep. VI, 488; ep. IX, *ad Archytam*, 358 A–B.

§ 5 *Tu mihi et Deus conscii. Aen.* IX, 428–429; Rom. I, 9; Phil. I, 9; *Conv.* III, 2 (141–145) citat.

§ 6 *potentiorum offensio. Potentes* hic uidetur uocare aulicos, ut Tacitus *Dialogi* II, 1; X, 8; XXXVI, 3, etc.

§ 7 *Conigastus.* Gothus rapax, de quo parum notum. Exstat ep. Athalarici regis ad eum. Cassiod. *Var.* VIII, 28 (P.L. LXIX, 759–760).

tunas impetum facientem obuius excepi; quotiens Trigguillam regiae praepositum domus ab incepta, perpetrata iam prorsus iniuria deieci; quotiens miseros quos infinitis calumniis impunita barbarorum semper auaritia uexabat, obiecta periculis auctoritate, protexi.

8 Numquam me ab iure ad iniuriam quisquam detraxit. Prouincialium fortunas tum priuatis rapinis tum publicis uectigalibus pessumdari non aliter quam qui patiebantur 9 indolui. Cum acerbae famis tempore grauis atque inexplicabilis indicta coemptio profligatura inopia Campaniam prouinciam uideretur, certamen aduersum praefectum praetorii communis commodi ratione suscepi, rege cognoscente contendi, et ne coemptio exigeretur 10 euici. Paulinum consularem uirum, cuius opes palatinae canes iam spe atque ambitione deuorassent, ab ipsis hiantium faucibus traxi. Ne Albinum consularem

Causa Albini.

33 *incepta, perpetrata*, sic Eng. (p. 24) et Ob.; Pp. om. uirgulam; Vall. *perpetrataque.* 45 *palatinae*, Vall. *palatini.*

Trigguilla gothus, forte est Triggua, de quo Ennodius, ep. IX, 21 (P.L. LXIII, 158 C). Hodgkin III, 534.

§ 8 *prouincialium fortunas pessumdari.* Exemplum habes in ep. Theodorici ad Ampelium et Liveriam. Cass. *Var.* V, 39 (P.L. LXIX, 671–673).

§ 9 *coemptio, συνωνή, συνωνητόν*, est specierum comparatio prouincialibus indicta, lex qua iubentur a solis regiis horreis emere frumentum. Cass. *Var.* X, 18 (P.L. LXIX, 810 A–B); Semeria, p. 19.

praefectus praetorii hic est Faustus. Cass. *Var.* III, 20, 21 (P.L. LXIX, 587–588); cfr. III, 27 (ib. 590–591). Hodgkin, III, 533; Semeria, p. 19. Boethius impediuit coemptionem a Fausto institutam. Annuit rex Theodoricus; tamen sic iam suscitatae in eum inimicitiae.

§ 10 *Paulinus* patricius ex-consularis saepius nominatur in Cass. *Var.* I, 23 (P.L. LXIX, 524 A); II, 3 (ib. 546 A); III, 29 (592 B); ep. Athalarici ad eum, IX, 22 (789–790). Tamen nil, nisi quod hic, notum de lite Paulini cum aulicis palati. Defendens Paulinum Boethius iterum prouocauit inimicitias.

palatinae canes. Diogenes uocat Aristippum *βασιλικὸν κύνα.* Diog. Laert. II, 8 (ed. Didot, p. 49).

Decius Albinus patricius consul a.D. 493. Supersunt duae ad eum epistolae Theodorici beneuolae, Cass. *Var.* I, 20 (P.L. LXIX, 521–522), IV, 30 (ib. 628–629), et ep. Ennodi, II, 21 (P.L. LXIII, 51). Cognatus erat Fausto de quo supr. ad § 9, et p. 34. Cfr. Ennodi ep. II, 22 (ib. 51 D). Anno 523 Albinus reus perduellionis, quatenus adpellauerit ad Imp. Iustinum contra regimen Theodorici. Boethius defendens Albinum

uirum praeiudicatae accusationis poena corriperet, odiis
11 me Cypriani delatoris opposui. Satisne in me magnas
uideor exaceruasse discordias? Sed esse apud ceteros
tutior debui qui mihi amore iustitiae nihil apud aulicos
quo magis essem tutior reseruaui.

Delatores eius infames.

12 Quibus autem deferentibus perculsi sumus? Quorum
Basilius olim regio ministerio depulsus in delationem
nostri nominis alieni aeris necessitate compulsus est.
13 Opilionem uero atque Gaudentium cum ob innumeras
multiplicesque fraudes ire in exilium regia censura de-
creuisset, cumque illi parere nolentes sacrarum sese
aedium defensione tuerentur, compertumque id regi
foret, edixit: uti ni intra praescriptum diem Rauenna
urbe decederent, notas insigniti frontibus pellerentur.

60 *uti ni*, Vall. *ut ni*.

inde partem habet eiusdem criminationis. Causa Albini radix malorum Boethi. Cfr. hic p. xv, et *Anonymum Vales.* (infra p. 177).

§ 11 *Cyprianus* romanus, referendarius postea comes sacrarum et magister (*Anon. Val.* l. cit.) multum laudatur tum a Theodorico tum ab Athalarico. Cass. *Var.* v, 40, 41 (P.L. LXIX, 673–674), VIII, 16, 17, 21, 22 (ib. 748–750, 754–756). Cfr. Hodgkin, III, 543–545, qui uelit eum defendere. Semeria (39–41) econtra obseruat Cyprianum et Opilionem surgere statim ac ceciderit Boethius, Cyprianum etsi romanum per omnia fauere Gothis, filios proprios in lingua gothica instituere. Cass. *Var.* VIII, 21 (P.L. LXIX, 755 A–B). Ipse annis 504–505 pugnat in exercitu Gothorum. Murari, p. 41. Cyprianus igitur delator praecipuus tum Albini tum Boethi (*Anon. Val.* l. cit.).

§ 12 *Basilius* romanus, forte ille qui cum Praetextato reus artis magicae. Cass. *Var.* IV, 22–23 (P.L. LXIX, 624–625). De eo porro *Var.* II, 11 (ib. 550 A), IV, 40 (ib. 634 D). Cfr. Hodgkin, III, 545. Delator Boethi uti Cyprianus.

§ 13 *Opilio*, frater Cypriani, cuius uxor cognata Basili (P.L. LXIX, 750 C), multum laudatur ab Athalarico, factus comes sacrarum. Cass. *Var.* VIII, 16, 17 (ib. 748–750). Eum laudat et Hodgkin, III, 545–546. Et Opilio delator Boethi.

Gaudentius, nomine romanus, delator Boethi, de quo praeter hoc nil inuenio. Hos uult Hodgkin ab accusatione Boethi defensare. Verum laudes eorum quas citat omnes sumit a Gothis. Equidem non miror Theodoricum, Athalaricum et huiusmodi laudare Romanos qui tradita patria seruitio barbarorum se dicauerunt.

notas insigniti frontibus. Stigma cauterio impressum fronti sontium. Iuuen. *Sat.* XIV, 21–22; Cic. *Offic.* II, c. 7 (§ 25); Sen. *Dial.* V (*de ira*), III, c. 3, § 6: "inscriptiones frontis."

Quid huic seueritati posse astrui uidetur? Atqui in eo die deferentibus eisdem nominis nostri delatio suscepta
14 est. Quid igitur? Nostraene artes ita meruerunt, an illos accusatores iustos fecit praemissa damnatio? Itane nihil fortunam puduit si minus accusatae innocentiae, at accusantium uilitas?

Cuius criminis reus.

15 At cuius criminis arguimur summam quaeris? Senatum dicimur saluum esse uoluisse. Modum desideras? Delatorem ne documenta deferret quibus senatum maiestatis reum faceret, impedisse criminamur. Quid igitur o magistra censes? Infitiabimur crimen, ne tibi pudor simus? At uolui, nec umquam uelle desistam. Fatebimur? Sed impediendi delatoris opera cessauit. An optasse illius ordinis salutem nefas uocabo? Ille quidem suis de me decretis, uti hoc nefas esset, effecerat.
16 Sed sibi semper mentiens imprudentia rerum merita non potest inmutare, nec mihi socratico decreto fas esse arbitror uel occuluisse ueritatem, uel concessisse mendacium. Verum id quoquo modo sit, tuo sapientiumque iudicio aestimandum relinquo. Cuius rei seriem atque ueritatem, ne latere posteros queat, stilo etiam memoriaeque mandaui.
17 Nam de compositis falso litteris, quibus libertatem arguor sperasse romanam, quid attinet dicere? Quarum fraus aperta patuisset, si nobis ipsorum confessione delatorum, quod in omnibus negotiis maximas uires habet,
18 uti licuisset. Nam quae sperəri reliqua libertas potest? Atque utinam posset ulla. Respondissem Canii uerbo,

---

62 *eo die*, Vall. *eodem die*. 67 *uilitas*, sic Eng. (p. 25); Vall. Pp. Ob. *uilitatis*. 73 *pudor* Eng. (p. 39); Pp. et Ob. *pudori*. 74 *cessauit* Eng. (p. 40); Pp. et Ob. *cessabit*.

---

§ 15 *cuius criminis arguimur*. Boethius reus factus trium criminum: 1. Maiestatis, quatenus uoluerit senatum saluum esse a dominatu Theodorici; 2. Perduellionis, sc. litterarum missarum ad Imp. Iustinum quibus eum contra Gothos excitauerit; 3. Sacrilegi seu artium magicarum.

§ 16 *socraticum decretum* ap. Plat. *Remp.* VI, 485 C: *τὴν ἀψεύδειαν καὶ τὸ ἑκόντας εἶναι μηδαμῇ προσδέχεσθαι τὸ ψεῦδος, ἀλλὰ μισεῖν, τὴν δ' ἀλήθειαν στέργειν.*

§ 18 *Canii uerbo*. De Cano Iulio cfr. I, pr. III, § 7 (p. 9). Hoc dictum Cani uidetur secus ignotum.

qui cum a Gaio Caesare Germanici filio conscius contra se factae coniurationis fuisse diceretur: Si ego, inquit, scissem, tu nescisses. Qua in re non ita sensus nostros maeror hebetauit, ut impios scelerata contra uirtutem querar molitos, sed quae sperauerint effecisse uehementer admiror. Nam deteriora uelle nostri fuerit fortasse defectus, posse contra innocentiam, quae sceleratus quisque conceperit inspectante deo, monstri simile est.

19 Vnde haud iniuria tuorum quidam familiarium quaesiuit: Si quidem Deus, inquit, est, unde mala? Bona uero unde, si non est? Sed fas fuerit nefarios homines qui bonorum omnium totiusque senatus sanguinem petunt, nos etiam quos propugnare bonis senatuique uiderant, perditum ire uoluisse.

Defenderat senatores.

20 Sed num idem de patribus quoque merebamur? Meministi, ut opinor, quoniam me dicturum quid facturumue praesens semper ipsa dirigebas; meministi, inquam, Veronae cum rex auidus exitii communis maiestatis crimen in Albinum delatae ad cunctum senatus ordinem transferre moliretur, uniuersi innocentiam senatus quanta

21 mei periculi securitate defenderim. Scis me haec et uera proferre et in nulla umquam mei laude iactasse. Minuit enim quodam modo se probantis conscientiae secretum, quotiens ostentando quis factum recipit famae pretium.

---

96 *posse contra*, Vall. *posse uero contra*. 108 *delatae* Eng. (p. 40); Ob. *delatum*. Correctio non necessaria, ait Eng.

---

§ 19. *tuorum quidam familiarium.* Omnes commentatores dicunt hunc esse Epicurum. Verum non inuenio Epicurum istam posuisse quaestionem. Forte quae dixit hoc modo possent summatim describi. Concedit quidem esse deos, at negauit eos mundum curare, cum exsistat malum. Cic. *de nat. deor.* I, cap. 41, § 115; *de leg.* I, cap. 7, § 21; Lact. *de ira Dei*, cap. XIII, §§ 20–21. CSEL. XXVII, p. 103. Contra hanc sent. Plato, *Reipub.* X, 899 D–905 E.

§ 21. *Minuit conscientiae secretum...* Cfr. C. Plini Sec. *Epist.* lib. I, 8 (Pomp. Saturnino): "Si alienae quoque laudes parum aequis auribus accipi solent, quam difficile est obtinere ne molesta uideatur oratio de se aut de suis disserentis" (Tb. 1912, p. 9, § 6). Macrobi *comm. in Somn. Scip.* II, cap. 10, § 2: "Virtutis fructum sapiens in conscientia ponit, minus perfectus in gloria" (Tb. p. 616). Mt. VI, 2.

22 Sed innocentiam nostram quis exceperit euentus uides.
Pro uerae uirtutis praemiis falsi sceleris poenas subimus.
Et cuius umquam facinoris manifesta confessio ita iudices
habuit in seueritate concordes, ut non aliquos uel ipse
ingenii error humani uel fortunae condicio cunctis mor-
23 talibus incerta submitteret? Si inflammare sacras aedes
uoluisse, si sacerdotes impio iugulare gladio, si bonis
omnibus necem struxisse diceremur, praesentem tamen
sententia, confessum tamen conuictumue, punisset.
24 Nunc quingentis fere passuum milibus procul, muti
atque indefensi, ob studium propensius in senatum
morti proscriptionique damnamur. O meritos de simili
crimine neminem posse conuinci.

Accusatur de arte magica.

25 Cuius dignitatem reatus ipsi etiam qui detulere uide-
runt, quam uti alicuius sceleris admixtione fuscarent, ob
ambitum dignitatis sacrilegio me conscientiam polluisse
26 mentiti sunt. Atqui et tu insita nobis omnem rerum
mortalium cupidinem de nostri animi sede pellebas, et
sub tuis oculis sacrilegio locum esse fas non erat. In-
stillabas enim auribus cogitationibusque cotidie meis
pythagoricum illud: ἕπου θεοῖς. Nec conueniebat

---

122 *tamen* om. Pp. Ob.; retinet Eng. (p. 22). 123 *muti*, Ob. *moti*. 134 Pp. *θεόν*, sic et plures codd., addita saepe nota: "sequere *deum* non *deos*." Alii corrigunt: ἕπου θεῷ. Engelbrecht (pp. 8–9) monstrat textum fuisse ἕπου θεοῖς, unde facile fit *θεόν*.

---

§ 24 *quingentis fere passuum milibus procul.* Hinc lis de loco ubi Boethius detentus et occisus. Roma distant Ticinum et Mediolanum circa 400 m.p., ager clauennanus (Chiavenna) 500 m.p. Quare textus hic esset argumentum pro agro clauennano, nisi obstarent alia fere omnia.
O meritos, etc. Scil. senatores qui Boethium defensorem tradiderunt non merentur ut alius unquam eos protegat.

§ 26 ἕπου θεοῖς (θεῷ), *sequere deos* (*Deum*). Pythagoricum symbolum 6: Γλώσσης πρὸ τῶν ἄλλων κράτει θεοῖς ἑπόμενος. F.G. Mullach, *Fragm. phil. graec.* (Didot, 1860), I, p. 505, 15. Id. Iamblichi *Protrepticus*, cap. 21 (ed. Pistelli, Tb. 1888, p. 107, 4). Iamblichus, *de pythag. uita*, XVIII, § 86: ὁ βίος ἅπας συντέτακται πρὸς τὸ ἀκολουθεῖν τῷ θεῷ. C. G. Cobet, *Diog. Laert.* (Didot, 1878), II, p. 37, ll. 33–34. Id. ib. XXVIII, § 137 (p. 51, ll. 13–14). Hieroclis *comm. in aur. carm. Pyth.* XI: Οὔτε γὰρ ἦλθεν ἀδυνατήσασα ἐπισπέσθαι θεῷ (Mullach, op. cit. I, 444); ib. XXIII: οὗτος τὸ Ἕπου θεῷ μάλιστα τηρεῖ

uilissimorum me spirituum praesidia captare, quem 135
tu in hanc excellentiam componebas ut consimilem
27 Deo faceres. Praeterea penetral innocens domus,

(I, 470). Senecae *Dial.* VII (*de uita beata*), cap. XV, 5: "habebit illud in animo uetus praeceptum: deum sequere." Sen. ep. XC (*ad Lucilium*, XIV, 2), § 34: "non nosse tantum sed sequi deos docuit." Fere eodem sensu M. Aurelius Antoninus, V, 27: Συζῆν θεοῖς, κ.τ.λ., Iuliani Imp. *Or.* VI, 183 A.

consimilem Deo. Notissimum prouerbium quod cohaeret illi ἕπου θεῷ. Iamblichi *Protrept.* III: Ἡ μὲν γὰρ γνῶσις τῶν θεῶν ἀρετή τέ ἐστι καὶ σοφία καὶ εὐδαιμονία τελεία, ποιεῖ τε ἡμᾶς τοῖς θεοῖς ὁμοίους (ed. Pistelli, Tb. 1888, p. 11, 14–16). Ib. XIV: φυγὴ δὲ (sc. fuga mali) ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν. Eadem uerba ap. Plat. *Theaet.* XXV, 176 B. Sec. Diog. Laert. (II, *Plato*, § 78; ed. cit. I, p. 85, ll. 43–44), Plato docuit τέλος (sc. philosophiae) μὲν εἶναι τὴν ἐξομοίωσιν τῷ θεῷ. Cfr. Iambl. *Protrep.* XXI: ἀλλὰ μίμησιν θεοῦ κατὰ τὸ δυνατὸν κτῶ φιλοσοφῶν (Tb. p. 121, l. 22). Plotinus, *Ennead.* I, lib. I, c. I: Ἐπειδὴ τὰ κακὰ ἐνταῦθα καὶ τόνδε τὸν τόπον περιπολεῖ ἐξ ἀνάγκης, βούλεται δὲ ἡ ψυχὴ φεύγειν τὰ κακά, φευκτέον ἐντεῦθεν. τίς οὖν ἡ φυγή; θεῷ φησιν (sc. Plato) ὁμοιωθῆναι (ed. R. Volkmann, Tb. 1883, I, 49). Ib. I, lib. II, c. 3: λέγων δὴ ὁ Πλάτων τὴν ὁμοίωσιν τὴν πρὸς θεὸν φυγὴν τῶν ἐντεῦθεν εἶναι, κ.τ.λ. Plutarchus, *de sera num. uind.* § 5 (550 D): ὅτι κατὰ Πλάτωνα πάντων καλῶν ὁ θεὸς ἑαυτὸν ἐν μέσῳ παράδειγμα θέμενος, τὴν ἀνθρωπίνην ἀρετήν, ἐξομοίωσιν οὖσαν ἁμωσγέπως πρὸς αὐτόν, ἐνδίδωσι τοῖς ἕπεσθαι θεῷ δυναμένοις. Ioh. Stobaeus, *Eclogae phys. et ethic.* II (Ethica), cap. 6, § 3: Σωκράτης Πλάτων ταὐτὰ τῷ Πυθαγόρᾳ, τέλος ὁμοίωσιν θεοῦ. σαφέστερον δ' αὐτὸ διήρθρωσε Πλάτων προσθεὶς τὸ κατὰ τὸ δυνατόν, φρονήσει δ' ἦν μόνως δυνατόν, τοῦτο δ' ἦν τὸ κατ' ἀρετήν. (Tb. 1860, II, p. 21). Seneca ep. 95, 50: "satis illos (sc. deos) coluit quisquis imitatus est." Iulianus Augustus: μιμεῖσθαι κελεύουσιν ἡμᾶς οἱ φιλύσοφοι κατὰ δύναμιν τοὺς θεούς (*Contra Christianos*, I; ed. C. J. Neumann, Tb. 1880, p. 192, ll. 4–5). Ep. ad Diogn. X, 4.

Clem. Alex. *Strom.* II, c. 22 citat dictum Platonis in *Theaet.* 176 B (φυγὴ δὲ ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν), quocum dicit concordare s. script. (ed. O. Stählin, Patr. Berol. II, 186). Conferri potest I Ioh. III, 2: ἐὰν φανερωθῇ ὅμοιοι αὐτῷ ἐσόμεθα. Quare Daniel Wyttenbach in Plut. *de sera num. uind.* § 5 (loc. cit.): "Summam autem hominum uirtutem et beatitudinem in eo consistere ut imitatione deorum eis similes euadant, communis fere omnium philosophorum fuit sententia, eaque notior quam a me hoc loco illustrari debeat. Qua in re proprie dicunt philosophi ἕπεσθαι θεῷ" (*Animaduers. in Plut. opp. mor.* Lipsiae, 1821, II, 497). Et Gotofredus Stallbaum in *Theaetetum* 176 B: "Haec sententia Platonis dici non potest quantopere ab omnis aetatis scriptoribus celebrata sit. Confirmauit eam *Rep.* VI, 501 B–C; X, 613 A, a Pythagoreis haud dubie susceptam. Suam fecerunt postea temporis Stoici, Platonici recentiores, etiam Christiani" (ed. Gothae et Erfordiae, 1839, tom. VIII, sect. I, pp. 170–171).

honestissimorum coetus amicorum, socer etiam sanctus et aeque ac tu ipsa reuerendus, ab omni nos huius
28 criminis suspicione defendunt. Sed, o nefas, illi uero de te tanti criminis fidem capiunt, atque hoc ipso uidebimur affines fuisse maleficio, quod tuis inbuti disciplinis, tuis instituti moribus sumus. Ita non est satis nihil mihi tuam profuisse reuerentiam, nisi ultro tu mea potius offensione lacereris.

Opinio popularis aduersa.

29 At uero hic etiam nostris malis cumulus accedit, quod existimatio plurimorum non rerum merita sed fortunae spectat euentum, eaque tantum iudicat esse prouisa quae felicitas commendauerit. Quo fit ut existimatio bona
30 prima omnium deserat infelices. Qui nunc populi rumores, quam dissonae multiplicesque sententiae, piget reminisci. Hoc tantum dixerim, ultimam esse aduersae fortunae sarcinam, quod dum miseris aliquod crimen affingitur, quae perferunt meruisse creduntur. Et ego quidem bonis omnibus pulsus, dignitatibus exutus, existimatione foedatus, ob beneficium supplicium tuli.
31 Videre autem uideor nefarias sceleratorum officinas gaudio laetitiaque fluitantes, perditissimum quemque nouis delationum fraudibus imminentem, iacere bonos nostri discriminis terrore prostratos, flagitiosum quemque ad audendum quidem facinus impunitate, ad efficiendum uero praemiis incitari, insontes autem non modo securitate, uerum ipsa etiam defensione priuatos. Itaque libet exclamare:

---

138 *socer etiam* Sitzm. Vall.; *socer etiam Symmachus.*
139 *Ac tu ipsa* Sitzm. Vall. Eng. (p. 51); Pp. Ob. *actu ipso*; Nolte (p. 88) *ac tu adspectu ipso.*

---

§ 27 *honestissimorum coetus amicorum*: de hoc coetu supra, p. xv. *socer*, sc. Symmachus, de quo II, pr. IV, § 4 (inf. p. 39).
§ 29 *fama culpat infortunatos. Conv.* I, III, 32–33; *Par.* XVII, 52–53.

METRVM V

Solas res humanas uidetur Deus neglegere

O stelliferi conditor orbis
qui perpetuo nixus solio
rapido caelum turbine uersas,
legemque pati sidera cogis,
ut nunc pleno lucida cornu
fratris totis obuia flammis
condat stellas luna minores,
nunc obscuro pallida cornu
Phoebo propior lumina perdat.

M. V, 6 *fratris totis*, Ob. *totis fratris*.

Metrum V pindaricum: anapaesti dimetri acatalecti qui 4 pedibus constant sat irregularibus:

$$\cup\cup - \mid \cup\cup - \mid - \cup\cup \mid - \overline{\cup}$$

et aliis. Cfr. R. Peiper, *Senecae tragoedias* (Tb. 1867), p. XII. Sic et Liudprandus, *Antap.* II, 65 (M.G.H. V, 300). M. V imitatur Sen. *Phaedr.* 967–996; multa hic desumpta e L. Apulei *Libro de mundo* (ed. Paulus Thomas, Tb. 1908, tom. III, pp. 135–175).

1–3 *Phaedr.* 968–971:

"Tuque igniferi rector Olympi
qui sparsa cito sidera mundo
cursusque uagos rapis astrorum
celerique polos cardine uersas."

Par. XXIV, 130–132:

"Io credo in uno Iddio
solo ed eterno, che tutto il ciel move,
non moto, con amore e con disio."

2 Cfr. Apulei *Lib. de mundo*, XXV (ed. cit. p. 161): "Nec ambigitur eum praestantem atque sublimem sedem tenere."

3 Apulei lib. cit. I (p. 138): "quod (caelum) cursibus rapidis semper rotetur." Senecae *Thyestis* 621–622:

"Res Deus nostras celeri citatas
turbine uersat."

5–9 Apuleius loc. cit. XXII (p. 158): "Euntibus sole atque luna ceteraque luce siderea per easdem uias, custoditis temporum uicibus nec ullius erroris interiectione confusis digeruntur tempora et rursus incipiunt." Cfr. XXIX (pp. 165–166).

6 Sen. *Thy.* 841: "Phoebeis obuia flammis."

7 Hor. *Carm.* I, 12, 46–48. Sen. *Phaedr.* 756: "Nec tenent stellae faciem minores."

Et qui primae tempore noctis
agit algentes hesperos ortus,
solitas iterum mutet habenas
Phoebi pallens lucifer ortu.
Tu frondifluae frigore brumae
stringis lucem breuiore mora;
tu, cum feruida uenerit aestas,
agiles nocti diuidis horas.
tua uis uarium temperat annum,
ut quas boreae spiritus aufert
reuehat mites zephyrus frondes;
quaeque arcturus semina uidit
sirius altas urat segetes.
Nihil antiqua lege solutum
linquit propriae stationis opus.
Omnia certo fine gubernans
hominum solos respuis actus
merito rector cohibere modo.
Nam cur tantas lubrica uersat
fortuna uices? Premit insontes
debita sceleri noxia poena,
at peruersi resident celso

---

11 *hesperos*, Ob. *Hesperus*. 20 *mites* Eng. (p. 40); alii *mitis* (Ob.). 30 *debita* Vall. Ob. Eng. (p. 56); Pp. *demta*.

10–13 *Phaedr.* 757–760:
"Qualis est primas referens tenebras
nuntius noctis, modo lotus undis,
Hesperus, pulsis iterum tenebris,
Lucifer idem."

14 *Phaedr.* 974–975:
"Vt nunc canae frigora brumae
nudent siluas."

18 *Phaedr.* 979: "uiresque suas temperet annus."

25 Apulei *lib. de mundo*, XIX (p. 155), XXI (157–158).

26–27 Claudianus *in Rufinum*, lib. I, 1–3:
"Saepe mihi dubiam traxit sententia mentem,
curarent superi terras an nullus inesset
rector et incerto fluerent mortalia casu."
Cfr. *Purg.* XVI, 79–81:
"A maggior forza ed a miglior natura
liberi soggiacete, e quella cria
la mente in voi, che il ciel non ha in sua cura."

29 (Sen.) *Herc. Oet.* 752: "quis me casus insontem premat."

mores solio sanctaque calcant
iniusta uice colla nocentes.
Latet obscuris condita uirtus
clara tenebris iustusque tulit
crimen iniqui.
Nil periuria, nil nocet ipsis
fraus mendaci compta colore.
Sed cum libuit uiribus uti,
quos innumeri metuunt populi
summos gaudent subdere reges.
O iam miseras respice terras,
quisquis rerum foedera nectis.
Operis tanti pars non uilis
homines quatimur fortunae sale.
Rapidos rector comprime fluctus
et quo caelum regis immensum
firma stabiles foedere terras.

PROSA V

Boethium longe aberrantem a uera patria Philosophia curat in primis lenioribus remediis

Boethius exsul a patria.

§ 1 Haec ubi continuato dolore delatraui, illa uultu placido nihilque meis questibus mota: Cum te, inquit, maestum lacrimantemque uidissem, ilico miserum exsulemque 2 cognoui. Sed quam id longinquum esset exsilium, nisi tua prodidisset oratio, nesciebam. Sed tu quam procul a patria non quidem pulsus es, sed aberrasti; ac si te pulsum existimari mauis, te potius ipse pepulisti. Nam 3 id quidem de te numquam cuiquam fas fuisset. Si enim cuius oriundo sis patriae reminiscare, non, uti Atheniensium quondam, multitudinis imperio regitur, sed εἷς

45 *sale*, Ob. *salo*. *declaraui* (n.). Pr. V, 1 *delatraui*, Vall. Ob. *deblateraui*, 9 *oriundo* Eng. (p. 41); Pp. Ob. *oriundus*.

42 Sen. *Oed.* 112: "respicis terras miseranda Thebe."
Pr. V, § 3 *oriundo*, abl. sc. sec. originem. Eng. "wessen Vaterlandes du, der Abstammung nach, bist."
εἷς κοίρανος, κ.τ.λ., *unus dominus est, unus rex*. *Il.* II, 204–205. Odysseus ironice Achaeis, ne parentes Agamemnoni discedant

κοίρανός ἐστιν, εἷς βασιλεύς, qui frequentia ciuium non depulsione laetetur, cuius agi frenis atque obtemperare
4 iustitiae summa libertas est. An ignoras illam tuae ciuitatis antiquissimam legem, qua sanctum est ei ius exsulare non esse, quisquis in ea sedem fundare maluerit? Nam qui uallo eius ac munimine continetur, nullus metus est ne exsul esse mereatur. At quisquis eam inhabitare uelle desierit, pariter desinit etiam mereri.
5 Itaque non tam me loci huius quam tua facies mouet, nec bibliothecae potius comptos ebore ac uitro parietes quam tuae mentis sedem requiro, in qua non libros sed id quod libris pretium facit, librorum quondam meorum
6 sententias, collocaui. Et tu quidem de tuis in commune bonum meritis uera quidem, sed pro multitudine gestorum tibi pauca dixisti. De obiectorum tibi uel hones-
7 tate uel falsitate cunctis nota memorasti. De sceleribus fraudibusque delatorum recte tu quidem strictim attingendum putasti, quod ea melius uberiusque recognoscentis omnia uulgi ore celebrentur. Increpuisti etiam

Nemo exsul nisi ipse aberrat.

Iusta querela Boethi.

---

12 *laetetur*, Ob. *laetatur*; Pp. hic claudit colon ("*laetetur:*"), male, ait Eng. (p. 29). 14 *sanctum*, Ob. *sancitum*.

---

ab obsidione:

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω,
εἷς βασιλεύς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου πάϊς ἀγκυλομήτεω
σκῆπτρόν τ' ἠδὲ θέμιστας, ἵνα σφίσι βουλεύησι.

Citatur uersus et a Caligula. Sueton. *De Vit. Caes.* IV, 22 (Tb. 1886, p. 128, 16–17).

frequentia ciuium laetetur. I Tim. II, 4.

cuius agi frenis summa libertas. Sen. *Dial.* VII (*de uita beata*), c. XV, 7: "In regno nati sumus: Deo parere libertas est." Postea princip. uulg. Christianis. Aug. *de quant. animae*, cap. XXXIV, § 78: "in cuius (sc. Dei) seruitio placere perfecte sola libertas est." Paulinus Nolanus carmine in fine ep. VIII (ad Licentium), 33–34:

"Haec bona libertas, Christo seruire et in ipso
omnibus esse supra" (CSEL. XXIX, p. 49).

Ita *Sacram. Gelas.* LVI. Orat. pro pace, Postcom.: "Deus... cui seruire regnare est" (ed. H. A. Wilson, Ox. 1894, p. 272); ac inde Missale rom.

§ 4 *tuae ciuitatis antiquissima lex*, sc. ciuitatis philosophiae seu caelestis. Sed et legem romanam ueterem spectat, qua nemo damnatus exsili, de qua lege Cicero *pro A. Caecina*, c. 34, § 100: "Nulla in lege nostra reperietur, ut apud ceteras ciuitates, maleficium ullum exsilio esse multatum."

uehementer iniusti factum senatus. De nostra etiam criminatione doluisti; laesae quoque opinionis damna
8 fleuisti. Postremus aduersum fortunam dolor incanduit, conquestusque non aequa meritis praemia pensari. In extremo Musae saeuientis, uti quae caelum terras quoque pax regeret, uota posuisti.

Remedia leniora adhibenda interim.

9 Sed quoniam plurimus tibi affectuum tumultus incubuit, diuersumque te dolor ira maeror distrahunt, uti nunc mentis es, nondum te ualidiora remedia contin-
10 gunt. Itaque lenioribus paulisper utemur, ut quae in tumorem perturbationibus influentibus induruerunt, ad acrioris uim medicaminis recipiendam tactu blandiore mollescant.

METRVM VI

Tractatio apposita ad unumquodque adhibenda

Cum Phoebi radiis graue Cancri sidus inaestuat,
tum qui larga negantibus sulcis semina credidit,
elusus Cereris fide quernas pergat ad arbores.
Numquam purpureum nemus lecturus uiolas petas
5 cum saeuis aquilonibus stridens campus inhorruit, [10]
nec quaeras auida manu uernos stringere palmites,
uuis si libeat frui; autumno potius sua
Bacchus munera contulit. Signat tempora propriis
aptans officiis deus nec, quas ipse coercuit,
10 misceri patitur uices. Sic quod praecipiti uia [20]
certum deserit ordinem laetos non habet exitus.

§ 7 *de nostra criminatione*, de artibus magicis de quibus Boethius, quatenus philosophus naturae scientia peritus, accusabatur.

§ 8 *quae caelum terras quoque pax regeret.* Cfr. Mt. VI, 10.

Metrum VI glyconeum:

⏑ – | – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏒

Sic Liudprandus, *Antap.* II, 71 (M.G.H. V, 301).

1–3 Imitatur Liudprandus, *Antap.* V, 11:

"Inuius esse soles etiam cum sol igneus ardet
tempore quo Cererem messor curua falce reposcit
tempore quo radiis Phoebi cancri sidus adurit"
(M.G.H. V, 301).

Cfr. et *C. Phil.* III, m. 1, 3–4.

10–11 Cfr. Sen. *Oedip.* 930–931:

"Quidquid excessit modum
pendet instabili loco."

PROSA VI

Deum et seipsum partim nouit partim ignorat.

IV *errores eius*

§ 1 Primum igitur paterisne me pauculis rogationibus statum tuae mentis attingere atque tentare, ut qui modus sit tuae curationis intellegam? Tu uero arbitratu, in- 2 quam, tuo quae uoles ut responsurum rogato. Tum illa: Huncine, inquit, mundum temerariis agi fortuitisque casibus putas, an ullum credis ei regimen inesse rationis? Atqui, inquam, nullo existimauerim modo ut fortuita temeritate tam certa moueantur, uerum operi suo conditorem praesidere deum scio, nec umquam fuerit dies 3 qui me ab hac sententiae ueritate depellat. Ita est, inquit. Nam id etiam paulo ante cecinisti, hominesque tantum diuinae exortes curae esse deplorasti. Nam de ceteris, quin ratione regerentur, nihil mouebare. Papae autem uehementer admiror cur in tam salubri sententia locatus aegrotes.

Mundus non regitur casu.

4 Verum altius perscrutemur: nescio quid abesse coniecto. Sed dic mihi, quoniam deo mundum regi non ambigis, quibus etiam gubernaculis regatur aduertis? Vix, inquam, rogationis tuae sententiam nosco, nedum 5 ad inquisita respondere queam. Num me, inquit, fefellit abesse aliquid, per quod, uelut hiante ualli robore, in animum tuum perturbationum morbus inrepserit? 6 Sed dic mihi, meministine quis sit rerum finis, quoue totius naturae tendat intentio? Audieram, inquam; sed memoriam maeror hebetauit. At qui scis unde cuncta 7 processerint? Noui, inquam, deumque esse respondi. P. Et qui fieri potest ut, principio cognito, quis sit rerum

Deus omnia regit.

Pr. VI, 2 *atque tentare*, nonnulli codd. om.; stet, ait Engelbr. (p. 14). 17 *deo*, Vall. *a deo*. 25 *At qui*, Ob. *Atque* (n.)

Pr. VI, § 1 *attingere atque tentare.* Boethium iuuat huiusmodi parallelismus. E.gr. "curandum sanandumque" (p. 4, § 9), "reclamantem renitentemque" (p. 8, § 5), "inlaesum inuiolatumque" (p. 38, § 3), "subsistere ac permanere" (p. 94, § 21), "aduersari ac repugnare" (p. 143, § 2), "in maestitiam luctumque" (p. 28, § 5). Engelbrecht, p. 14.

finis ignores? Verum hi perturbationum mores, ea ualentia est, ut mouere quidem loco hominem possint, conuellere autem sibique totum exstirpare non possint.

Quid sit homo.

8 Sed hoc quoque respondeas uelim, hominemne te esse meministi? Quidni, inquam, meminerim? P. Quid igitur homo sit, poterisne proferre? B. Hocine interrogas, an esse me sciam rationale animal atque mortale? Scio et id me esse confiteor. Et illa: Nihilne aliud te esse nouisti? B. Nihil.

Errores Boethi. IV *errores: A. Obliuio sui,* *B. Ignorantia finis rerum,* *C. Ignorantia regiminis mundi,* *D. Arbitratur improbos esse felices.*

9 P. Iam scio, inquit, morbi tui aliam uel maximam causam; quid ipse sis, nosse desisti. Quare plenissime uel aegritudinis tuae rationem uel aditum reconciliandae
10 sospitatis inueni. Nam quoniam tui obliuione confunderis, et exsulem te et exspoliatum propriis bonis esse doluisti. Quoniam uero quis sit rerum finis ignoras, nequam homines atque nefarios potentes felicesque arbitraris. Quoniam uero quibus gubernaculis mundus regatur oblitus es, has fortunarum uices aestimas sine
11 rectore fluitare. Magnae non ad morbum modo, uerum ad interitum quoque causae; sed sospitatis auctori grates, quod te nondum totum natura destituit. Habemus maximum tuae fomitem salutis, ueram de mundi gubernatione sententiam, quod eam non casuum temeri-

Spes refectionis.

12 tati, sed diuinae rationi subditam credis. Nihil igitur pertimescas. Iam tibi ex hac minima scintillula uitalis
13 calor inluxerit. Sed quoniam firmioribus remediis nondum tempus est, et eam mentium constat esse naturam, ut quotiens abiecerint ueras, falsis opinionibus induantur, ex quibus orta perturbationum caligo uerum illum confundit intuitum, hanc paulisper lenibus mediocribusque fomentis attenuare tentabo, ut dimotis fallacium affectionum tenebris splendorem uerae lucis possis agnoscere.

---

28 *mores*, Vall. *mores sunt.*

---

§ 13 *caligo uerum confundit intuitum*, etc. Cfr. *Purg.* XV, 64–66:

"Perocchè tu rificchi
la mente pure alle cose terrene,
di vera luce tenebre dispicchi."

METRVM VII

Fuganda quae obstant clarae uisioni

Nubibus atris condita nullum
fundere possunt sidera lumen.
Si mare uoluens turbidus auster
misceat aestum, uitrea dudum
parque serenis unda diebus [10]
mox resoluto sordida caeno
uisibus obstat. Quique uagatur
montibus altis defluus amnis
saepe resistit rupe soluti
obice saxi. Tu quoque si uis [20]
lumine claro cernere uerum,
tramite recto carpere callem,
gaudia pelle pelle timorem,
spemque fugato, nec dolor adsit.
Nubila mens est uinctaque frenis, [30]
haec ubi regnant.

Metrum VII adonium:

$$- \cup\cup \mid - \overline{\cup}$$

1 Sen. *Phaedr.* 682–683:
"Omnis inpulsus ruat
aether et atris nubibus condat diem."

2 Cfr. Liudprandi *Antap.* II, 4:
"Nubibus omnipotens Heloim cum condere Phoebi
lumina chrisocomi uenerandus ceperit atris,
uertice cumque polus summo clangore remugit," etc.
(M.G.H. V, 288).
Sic et *C. Phil.* II, m. III, 1–2 (cfr. *Aen.* IX, 504).

12 Sen. *Oed.* 1008: "Omnia recto tramite uadunt."

13–14 Gualterus ab Insulis (saec. XII; uide infra p. 164): "Ad hoc notandum est quod quattuor sunt affectus seu passiones in homine, de quibus Boethius: *Gaudia pelle* (etc. citat 4 uersus). Hi quattuor affectus debent taliter ordinari: primo dolor, secundo gaudium, tertio timor, quarto spes" (ed. Sundby, p. X; Renier, p. 399).

[II. REMEDIVM LENIVS: NVLLA IVSTA QVERELA CVM FORTVNA]

PROSA I

Fortuna semper inconstans

Fortuna Boethi mutata, hinc maeror.

§ 1 POST haec paulisper obticuit atque ubi attentionem meam modesta taciturnitate collegit, sic exorsa est: Si penitus aegritudinis tuae causas habitumque cognoui, fortunae prioris affectu desiderioque tabescis. Ea tantum animi tui, sicuti tu tibi fingis, mutata 2 peruertit. Intellego multiformes illius prodigii fucos, et eo usque cum his quos eludere nititur blandissimam familiaritatem, dum intolerabili dolore confundat quos insperata reliquerit. Cuius si naturam, mores ac meritum reminiscare, nec habuisse te in ea pulchrum aliquid nec amisisse cognosces, sed, ut arbitror, haud multum 3 tibi haec in memoriam reuocare laborauerim. Solebas enim praesentem quoque, blandientemque uirilibus incessere uerbis, eamque de nostro adyto prolatis insectabare sententiis. Verum omnis subita mutatio rerum non sine quodam quasi fluctu contingit animorum. Sic factum est ut tu quoque paulisper a tua tranquillitate 4 descisceres. Sed tempus est haurire te aliquid ac degustare molle atque iucundum, quod ad interiora transmissum ualidioribus haustibus uiam fecerit. Adsit igitur rhetoricae suadela dulcedinis, quae tum tantum recto calle procedit, cum nostra instituta non deserit, cumque hac musica laris nostri uernacula nunc leuiores nunc grauiores modos succinat.

Sed constanter mobilis est.

5 Quid est igitur, o homo, quod te in maestitiam luctumque deiecit? Nouum, credo, aliquid inusitatumque ui- 6 disti. Tu fortunam putas erga te esse mutatam: erras. Hi semper eius mores sunt, ista natura. Seruauit circa

---

Pr. I, 5. *animi tui*, Ob. *animi tui statum*. 13 *blandientemque*, Ob. Eng. (p. 22); Pp. *blandientem quoque*. 23 *uernacula*, Vall. *uernula*.

Pr. I, § 3 *omnis subita mutatio rerum*, etc. Citatur a Dante, *Conv.* II, xi, 17–20.

§ 6 *Hi semper eius mores*, etc. *Inf.* VII, 88–90:

te propriam potius in ipsa sui mutabilitate constantiam. Talis erat cum blandiebatur, cum tibi falsae inlecebris
7 felicitatis alluderet. Deprehendisti caeci numinis ambiguos uultus. Quae sese adhuc uelat aliis, tota tibi prorsus innotuit. Si probas, utere moribus, ne queraris. Si perfidiam perhorrescis, sperne atque abice perniciosa
8 ludentem. Nam quae nunc tibi est tanti causa maeroris, haec eadem tranquillitatis esse debuisset. Reliquit enim te quam non relicturam nemo umquam poterit esse
9 securus. An uero tu pretiosam aestimas abituram felicitatem? Et cara tibi est fortuna praesens, nec manendi fida, et cum discesserit adlatura maerorem. Quod si nec ex arbitrio retineri potest, et calamitosos fugiens facit, quid est aliud fugax quam futurae quoddam calami-
10 tatis indicium? Neque enim quod ante oculos situm est suffecerit intueri: rerum exitus prudentia metitur, eademque in alterutro mutabilitas nec formidandas fortunae minas nec exoptandas facit esse blanditias.

Si te committis fortunae, moribus eius obtempera.

11 Postremo aequo animo toleres oportet quidquid intra fortunae aream geritur, cum semel iugo eius colla submiseris. Quod si manendi abeundique scribere legem uelis ei quam tu tibi dominam sponte legisti, nonne iniurius fueris et impatientia sortem exacerbes quam per-
12 mutare non possis? Si uentis uela committeres, non quo uoluntas peteret, sed quo flatus impellerent, promoueres;

30 *blandiebatur*; 31 *alluderet*. Sic Eng. (p. 29). Lapsus Boethi. 34 *perfidiam*, Vall. *perfidam*. 51 *exacerbes*, Ob. *exacerbabis*. 53 *promoueres*, Vall. *promouereris*.

"Le sue permutazion non hanno triegue:
necessità la fa esser veloce,
sì spesso vien chi vicenda consegue."

Chaucer, *Fortune*, 57–72: "Thou pinchest at my mutabilitee," etc. (ed. W. Skeat, p. 120). *Troilus and Criseyde*, I, 848–854 (ib. pp. 217–218); V, 1541–1545 (ib. p. 320).

§ 10 *Neque enim quod ante oculos*, etc. Citat Dantes, *Conv.* III, I, 78–82.

Brunettus Latinus, *Tresor*, lib. II, p. II, c. 54: "Boeces dit: Il ne soffit pas à home que il voie et ne conoisse les choses qui sont devant ses oils, mais porveance mesure la fin des choses" (ed. Chabaille, p. 350).

§ 11 *impatientia sortem exacerbes*, etc. Sic Hor. *Carm.* I, 24, 19–20:

"leuius fit patientia
quicquid corrigere est nefas."

si aruis semina crederes, feraces inter se annos 55
13 sterilesque pensares. Fortunae te regendum dedisti;
dominae moribus oportet obtemperes. Tu uero uoluentis rotae impetum retinere conaris? At, omnium mortalium stolidissime, si manere incipit, fors esse desistit.

METRVM I

Fortuna ludit homines instabilis

Haec cum superba uerterit uices dextra
et aestuantis more fertur Euripi,
dudum tremendos saeua proterit reges
humilemque uicti subleuat fallax uultum.
5 Non illa miseros audit aut curat fletus
ultroque gemitus, dura quos fecit, ridet.
Sic illa ludit, sic suas probat uires
magnum suae uis monstrat ostentum, si quis
uisatur una stratus ac felix hora.

M. I, 2 *et aestuantis*, Eng. qui ponit uirgulam in fine uersus ("Euripi,"); Pp. *exaestuantis*. . . *Euripi*.—cum puncto; Vall. Ob. *exaestuantis*. 5 *aut*, Vall. *haud*. 8 *suae uis*. Sic etsi haesitans Eng. (p. 56); Vall. *suique magnum*; Ob. *suisque magnum*; Pp. *magnumque suis*.

Metrum I iambicum; trimetri acatalecti:

$$\text{⏑} - | \cup - | \text{⏑} \| - | \cup - | \text{⏑} - | \cup \text{⏑}$$

Quandoque 1 anapaestus, 2 tribrachus.

1 Sen. *Med.* 205: "sceptris superbas quisquis admouit manus."

2 *Mos Euripi*. Τύχη Εὐρίπου, prouerbium graecum, pro homine instabili. Παροιμία· τύχη Εὔριπος (sic), ἐπὶ τῶν ῥᾳστα μεταβαλλομένων καὶ ἀσταθμήτων ἀνθρώπων. Suidae lexicon (ed. G. Bernhardy, Halis, 1853, II, 1256). Cfr. Cic. *de nat. deor.* III, c. X, § 24.
Sen. *Tro.* 847–848:
"Premens litus maris inquieti
semper Euripo properante Chalcis."
Herc. Oet. 783: "Euripus undas flectit instabilis uagas."

3–4 *Inf.* VII, 82–84.

5 *Inf.* VII, 94.

3–5 Liudprandi *Antap.* II, 22:
"Conterit hic nitidos reges dudumque tremendos
sublimesque uolens; erigit hic miseros"
(M.G.H. V, 292).

7 *Sic illa ludit*. Hor. *Carm.* II, 1, 3: "ludumque fortunae."
Aen. XI, 426–427:
"multos alterna reuisens
lusit et in solido rursus fortuna locauit."
Inf. VII, 64–66, 94–96.

PROSA II

Fortunae ius est sua dandi auferendiue ut placet

§ 1 Vellem autem pauca tecum fortunae ipsius uerbis agi-
2 tare. Tu igitur an ius postulet, animaduerte. Quid tu homo ream me cotidianis agis querelis? Quam tibi fecimus iniuriam? Quae tua tibi detraximus bona? Quouis iudice de opum dignitatumque mecum possessione contende. Et si cuiusquam mortalium proprium quid horum esse monstraueris, ego iam tua fuisse quae
3 repetis, sponte concedam. Cum te matris utero natura produxit, nudum rebus omnibus inopemque suscepi, meis opibus foui et, quod te nunc impatientem nostri facit, fauore prona indulgentius educaui, omnium quae
4 mei iuris sunt, affluentia et splendore circumdedi. Nunc mihi retrahere manum libet: habes gratiam uelut usus alienis, non habes ius querelae tamquam prorsus tua perdideris.

Loquitur Fortuna.

Ius Fortunae in bona sua

5 Quid igitur ingemiscis? Nulla tibi a nobis est allata uiolentia. Opes, honores ceteraque talium mei sunt iuris. Dominam famulae cognoscunt, mecum ueniunt, me abeunte discedunt. Audacter adfirmem, si tua forent
6 quae amissa conquereris, nullo modo perdidisses. An ego sola meum ius exercere prohibebor? Licet caelo proferre lucidos dies, eosdemque tenebrosis noctibus condere; licet anno terrae uultum nunc floribus frugibusque redimire, nunc nimbis frigoribusque confundere. Ius est mari nunc strato aequore blandiri, nunc procellis ac fluctibus inhorrescere. Nos ad constantiam nostris

Nulla iniuria si ea aufert.

Pr. II, 8 *matris utero*, Vall. *matris ex utero.* 11 *omnium*, Vall. *et omnium.* 13 *habes*, Vall. *habe.* 19 *adfirmem*, Ob. *affirmarem.*

Pr. II, § 2 *quid me agis querelis? Inf.* VII, 61–96.

§ 4 *non habes ius querelae.* Principium Stoicorum. Sic Epictetus *Ench.* 1: Οὐκ ἐφ' ἡμῖν δὲ τὸ σῶμα, ἡ κτῆσις, δόξαι, ἀρχαὶ καὶ ἐνὶ λόγῳ ὅσα οὐχ ἡμέτερα ἔργα...τὰ δὲ οὐκ ἐφ' ἡμῖν ασθενῆ, δοῦλα, κωλυτά, ἀλλότρια (ed. H. Schenkl maioris, 1916, p. 5*). Cfr. 11 (p. 11*), Simplici *Comm. in Enchir.* 1 (ed. Fr. Dübner, Didot, 1840, p. 16), Epict. *Diatr.* IV, c. 1, §§ 62–80.

§ 5 *opes, honores...mei sunt iuris*, etc. *Inf.* VII, 77–81.

moribus alienam inexpleta hominum cupiditas alligabit?
7 Haec nostra uis est, hunc continuum ludum ludimus:
rotam uolubili orbe uersamus, infima summis, summa
8 infimis mutare gaudemus. Ascende si placet, sed ea
lege, ne uti cum ludicri mei ratio poscet, descendere
Exempla Croesi et Persae. 9 iniuriam putes. An tu mores ignorabas meos? Nesciebas Croesum regem Lydorum, Cyro paulo ante formidabilem, mox deinde miserandum rogi flammis traditum misso caelitus imbre defensum? Num te praeterit
Paulum Persi regis a se capti calamitatibus pias inpen-
10 disse lacrimas? Quid tragoediarum clamor aliud deflet
nisi indiscreto ictu fortunam felicia regna uertentem?
Nonne adulescentulus δοιοὺς πίθους, τὸν μὲν ἕνα κακῶν
11 τὸν δὲ ἕτερον ἐάων in Iouis limine iacere didicisti? Quid
si uberius de bonorum parte sumpsisti? Quid si a te
non tota discessi? Quid si haec ipsa mei mutabilitas
iusta tibi causa est sperandi meliora, tamen ne animo
contabescas et, intra commune omnibus regnum locatus,
proprio uiuere iure desideres?

31 *uti*, Ob. om.; Vall. *uti ne*. 43 *tamen ne* coniung. cum praec. Eng. (p. 35). Tamen = dummodo (sec. Callyum, ed. delphin. = quidquid sit).

§ 7 *hunc continuum ludum ludimus*. Cfr. Tibulli lib. I, eleg. 5, 70: "uersatur celeri fors leuis orbe rotae."
infima summis . . . mutare. Ausoni lib. XXIII, epigr. 10:
"Fortuna nunquam sistit in eodem statu;
semper mouetur, uariat ac mutat uices,
et summa in imum uertit ac uersa erigit"
(ed. Peiper, Tb. 1886, p. 424).

§ 9 *Croesus* rex lydus uictus a Cyro anno 546 ante Xt. Herod. I, 84. De rogo imbre exstincto u. ib. I, 86.
Perseus (Perses) ultimus rex Macedoniae (178–168 ante Xt.) uictus Pydnae a consule romano L. Aemilio Paulo, 22 iun. 168 ante Xt. Paulum fleuisse sortem hostis inuenies ap. Liuium, XLV, 7–8. Cfr. Plutarchi uitam Aem. Pauli, cap. 26 (Tb. 1879, II, p. 66). *De uiris illustr. urbis Romae* (adscript. S. Aurelio Victori) § 56 (L. Aem. Paullus): "Iterum consul Persen Philippi filium regem macedonium apud Samothracas [deos] cepit; quem uictum fleuit et assidere sibi iussit, tamen in triumphum duxit" (Tb. 1911, p. 56).

§ 10 δοιοὺς πίθους, κ.τ.λ. *Duo dolia, unum quidem malorum, at alterum bonorum*. Achilles Priamo petenti cadauer Hectoris:
δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει
δώρων οἷα δίδωσι, κακῶν, ἕτερος δὲ ἐάων.
(*Il.* XXIV, 527–528).

METRVM II

Adauctis bonis crescit egestas

Si quantas rapidis flatibus incitus
pontus uersat harenas,
aut quot stelliferis edita noctibus
caelo sidera fulgent,
tantas fundat opes, nec retrahat manum
pleno copia cornu,
humanum miseras haud ideo genus
cesset flere querelas.
Quamuis uota libens excipiat deus
multi prodigus auri,
et claris auidos ornet honoribus,
nil iam parta uidentur;
sed quaesita uorans saeua rapacitas
alios pandit hiatus.
Quae iam praecipitem frena cupidinem
certo fine retentent,
largis cum potius muneribus fluens
sitis ardescit habendi?
Numquam diues agit qui trepidus gemens
sese credit egentem.

M. II, 14 *alios*, Vall. Ob. *altos* (n.). 17 *largis*, Ob. Eng. (p. 51) Pp. *largus*. 19 Pp. Vall. *agit*, Ob. *erit* (n.).

Metrum II: uersus asclepiadei cum alternis pherecratiis:

– – | – ∪∪ | – ‖ – ∪∪ | – ∪⏑
⏑̲ – | – ∪∪ | – ⏑̲

1–8 Cfr. *Inf.* 64–66 (Murari, p. 373). Citatur *Conv.* IV, xii, 74–78.
3–4 (Sen.) *Octau.* 1–2:
"Iam uaga caelo sidera fulgens
aurora fugat."
6 Hor. *carm. saec.* 59–60:
"Apparetque beata pleno
copia cornu."
Sen. *Med.* 64–65: "quae dat belligeris foedera gentibus | et cornu retinet diuite copiam."
19–20 Claudiani *lib. in Ruf.* I, 199–200:
"Nunquam diues eris, nunquam satiabere quaestu:
semper inops quicumque cupit."

PROSA III

Multa bona fortunae per uitam accepit Boethius

Oblectant haec non medentur.

§ 1 His igitur si pro se tecum fortuna loqueretur, quid profecto contra hisceres non haberes; aut si quid est quo querelam tuam iure tuearis, proferas oportet. Da- 2 bimus dicendi locum. Tum ego: Speciosa quidem ista sunt, inquam, oblitaque rhetoricae ac musicae melle dulcedinis; tum tantum, cum audiuntur, oblectant. Sed miseris malorum altior sensus est. Itaque cum haec auribus insonare desierint, insitus animum maeror 3 praegrauat. Et illa: Ita est, inquit; haec enim nondum morbi tui remedia, sed adhuc contumacis aduersum curationem doloris fomenta quaedam sunt. Nam quae in profundum sese penetrent, cum tempestiuum fuerit, admouebo.

Philosophia commemorat bona fortunae Boethio collata.

4 Verumtamen ne te existimari miserum uelis, an numerum modumque tuae felicitatis oblitus es? Taceo quod desolatum parente summorum te uirorum cura suscepit, delectusque in affinitatem principum ciuitatis, quod pretiosissimum propinquitatis genus est, prius carus quam proximus esse coepisti. Quis non te felicissimum cum tanto splendore socerorum, cum

Pr. III, § 1 *hisceres*, hiares, sc. responderes. Sic Cic. *Phil.* II, c. 43, § 111: "Respondebisne ad haec, aut omnino hiscere audebis?"

§§ 4–6 Nonnulla hic de uita Boethi.

§ 4 *parens*, pater nostri, Aurelius Manlius Boethius, consul anno 487, mortuus est filio infante, ut hoc loco discimus.

summorum uirorum cura. Boethius puer orbus suscipitur a Symmacho et Fausto (sec. alios a Festo; cfr. Semeria, 13; Murari, 15; Hodgkin, III, 522) cognatis eius. *Faustus* senator, consul anno 483, fautor Symmachi Papae (498–514) temp. Laurenti antipapae (498), ille praefectus praetori est contra quem postea Boethius certamen suscepit (p. 13). *Festus* uero, caput senatus, fautor Laurenti, aemulus erat Fausti in regia aula.

soceri (socer et socrus, Murm. P.L. LXIII, 960 B.C.). Socer Quintus Aurelius Memmius *Symmachus*, gentis Aniciae, oriundus Symmacho consule anno 391, qui orauit Gratianum ne auferretur a senatu idolum Victoriae (an. 384, Ambr. ep. 17 et 18). Interim gens conuersa ad fidem christianam. Noster Symmachus est firmus catholicus temp. regis

coniugis pudore, cum masculae quoque prolis oppor-
5 tunitate praedicauit? Praetereo (libet enim praeterire
communia) sumptas in adulescentia negatas senibus
dignitates: ad singularem felicitatis tuae cumulum
6 uenire delectat. Si quis rerum mortalium fructus ullum 25
beatitudinis pondus habet, poteritne illius memoria
lucis quantalibet ingruentium malorum mole deleri?
Cum duos pariter consules liberos tuos domo prouehi
sub frequentia patrum, sub plebis alacritate uidisti,
cum eisdem in curia curules insidentibus tu regiae 30
laudis orator ingenii gloriam facundiaeque meruisti, cum

ariani. Consul 485, praefectus Vrbi (Cass. *Var.* II, 14; P.L. LXIX, 551–553), caput senatus 524 (*exc. Vales.* § 92, ap. Amm. Marc. ed. Tb. 1874, II, p. 304). Demum iussu Theodorici occisus Rauennae, c. 525. Symmachus est clarissimus Romanorum suo tempore, uno excepto ipso Boethio. Laudes eius inuenies apud Cassiod. *Var.* II, 14 (loc. cit.), IV, 6 (ib. 615), IV, 51 (642–644); apud Ennodium, Ep. VII, 25 (P.L. LXIII, 126–127); eiusd. *Paraen. didasc.* (ib. 253–254); ap. Priscianum Caesariensem (Grammaticum), *de Figuris et Nominibus numerorum* (ep. dedicat. ed. I. G. Graeuius, *Thes. antiquitatum rom.* Traiect. et Lugd. Bat. 1699, tom. XI, 1679–1680).

Genealogiam Symmachi ordinauit Iac. Sirmond, ut uidebis in P.L. LXIII, 125–128.

coniunx. Rusticiana filia Symmachi, quam uxorem duxit Boethius. Superuixit uiro; dum Gothi obsidebant Vrbem, Totila duce, a.D. 547, Rusticiana distribuit omnia bona sua egentibus. Barbari uoluerunt eam occidere, sed prohibuit Totila. Procopi *Hist. Goth.* III, c. 20 (Tb. 1905, II, p. 389). Veteriores auctores adscribebant Boethio aliam uxorem priorem, nomine *Elpidem*, quam dicebant filiam Festi, scripsisse porro hymnum in hon. SS. Petri et Pauli: "Aurea luce et decore roseo" (G. M. Dreves, *Anal. hymn.* LI, 216). Error hic ab omnibus nunc correctus. Vnica uxor Boethi Rusticiana. De ficta uxore Elpide uide Semeria, 13–14, Murari, 60–64.

mascula proles. Suscepit Boethius saltem duos filios, quibus dicitur nomina imposuisse soceri et suum, Symmachum et Boethium.

§ 5 *sumptae dignitates.* Anno 510 Boethius consul, solus sine collega. Erat senator (forte aet. suae anno 25), mox fit comes sacrarum largitionum, et patricius, a.D. 522 magister officiorum. "Dignitatibus summis excelluit," *Anecd. Holderi* (ed. Usener, p. 4). *Σύμμαχος καὶ Βοέτιος, ὁ τούτου γαμβρός, εὐπατρίδαι μὲν τὸ ἀνέκαθεν ἦστην, πρώτω δὲ βουλῆς τῆς ῥωμαίων καὶ ὑπάτω ἐγενέσθην.* Procopius, *de bell. goth.* lib. I, c. 1.

§ 6 *duo consules filii.* Anno 522 filii Boethi consules.

regiae laudis orator. "Regem Theodorichum in senatu pro

in circo duorum medius consulum circumfusae multitudinis expectationem triumphali largitione satiasti.
7 Dedisti, ut opinor, uerba fortunae, dum te illa demulcet, dum te ut delicias suas fouet. Munus quod nulli umquam priuato commodauerat abstulisti.

Felicitas eius transcendit infelicitatem.

8 Visne igitur cum fortuna calculum ponere? Nunc te primum liuenti oculo praestrinxit. Si numerum modumque laetorum tristiumue consideres, adhuc te felicem
9 negare non possis. Quod si idcirco te fortunatum esse non aestimas, quoniam quae tunc laeta uidebantur abierunt, non est quod te miserum putes; quoniam quae
10 nunc creduntur maesta praetereunt. An tu in hanc uitae scaenam nunc primum subitus hospesque uenisti? Vllamne humanis rebus inesse constantiam reris, cum
11 ipsum saepe hominem uelox hora dissoluat? Nam, etsi rara est fortuitis manendi fides, ultimus tamen uitae dies mors quaedam fortunae est etiam manentis. Quid igitur referre putas, tune illam moriendo deseras, an te illa fugiendo?

METRVM III

Nil genitum constat

Cum polo Phoebus roseis quadrigis
lucem spargere coeperit,
pallet albentes hebetata uultus
flammis stella prementibus.
Cum nemus flatu zephyri tepentis
uernis inrubuit rosis,

Pr. III, 38 *praestrinxit*, Vall. *perstrinxit*. 41 *aestimas*, Ob. *existimas*.

consulatu filiorum luculenta oratione laudauit," *Anecd. Hold.* loc. cit. Verum culmen splendoris mox secutum excidium. Sequenti anno, 523, mota est causa Albini, 524, occisus Boethius.

§ 11 *referre*, sc. differre. Cfr. v, pr. III, § 15 (Eng. 38).

Metrum III: uersus sapphici cum alternis glyconeis:

$$- \cup \mid - - \mid - \parallel \cup\cup \mid - \cup \mid - \overline{\cup}$$
$$\overline{\cup} - \mid - \cup\cup \mid -- \cup\overline{\cup}$$

1–2 Lucreti II, 144: "primum aurora nouo cum spargit lumine terras." Cfr. Liudprandum (supra, p. 24).

spiret insanum nebulosus auster:
iam spinis abeat decus.
Saepe tranquillo radiat sereno
immotis mare fluctibus,
saepe feruentes aquilo procellas
uerso concitat aequore.
Rara si constat sua forma mundo,
si tantas uariat uices,
crede fortunis hominum caducis,
bonis crede fugacibus.
Constat aeterna positumque lege est
ut constet genitum nihil.

PROSA IV

Omnibus perpensis, Boethius felix magis quam miser

Infortunium recolendae bonae fortunae.

§ 1 Tum ego: Vera, inquam, commemoras, o uirtutum omnium nutrix, nec infitiari possum prosperitatis meae uelocissimum cursum. Sed hoc est quod recolentem uehementius coquit. Nam in omni aduersitate fortunae infelicissimum est genus infortunii fuisse felicem.

17–18 (Sen.) *Herc. Oet.* 1035–1039:
"Verum est quod cecinit sacer
.....(Orpheus).....
aeternum fieri nihil."

Pr. IV, § 1 *infelicissimum genus infortunii.* Cfr. Plautum: "Miserum istuc uerbum et pessimum est, habuisse et nihil habere" (*Rudens*, 1321). Maximianus (poeta minor temp. Theodorici, post Boethium, quem nominat, eleg. III, 48):
"Dura satis miseris memoratio prisca bonorum,
et grauius summo culmine missa ruunt."
Eleg. I, 291–292 (A. Bährens, *Poetae lat. minores*, Tb. tom. V, p. 329). Eurip. *Troad.* 634–635.
Inf. V, 121–123:
"Nessun maggior dolore
che ricordarsi del tempo felice
nella miseria; e ciò sa il tuo dottore."
Verum sunt qui dubitant an hoc loco citetur Boethius, maxime quia "doctor" Dantis est Vergilius. Tamen, et alios Dantes appellat doctores (Statium, *Purg.* XXIV, 143; S. Dominicum, *Par.* XII, 85; S. Bernardum, *Par.* XXXII, 2); si, uti uidetur, Boethium uocat "il Savio" in *Conv.* IV, XIII, 108 (cfr. hic p. 46, ad II, pr. V, § 22), eum hic potest dicere doctorem. Praeterea, etsi "tuus doctor" sit Vergilius, potest citari Boethius. Scit nempe Vergilius quod dixit B.

Tamen multa bona manent.

2 Sed quod tu, inquit, falsae opinionis supplicium luas, id rebus iure imputare non possis. Nam si te hoc inane nomen fortuitae felicitatis mouet, quam pluribus maxi-
3 misque abundes mecum reputes licet. Igitur si quod in omni fortunae tuae censu pretiosissimum possidebas, id tibi diuinitus inlaesum adhuc inuiolatumque seruatur, poterisne meliora quaeque retinens de infortunio

---

Pr. IV, 6 *luas*, Vall. *luis*.

Demum, nimis aperte uidetur significari textus hic Boethi; quare ii uidentur operam perdere qui quaerunt uersum uergilianum (e.gr. *Aen.* II, 3: "Infandum, regina, iubes renouare dolorem") quem citet Dantes hoc loco. Equidem compertum habeo et textum boethianum significari et Boethium dici doctorem Dantis. Ceterum cf. Ed. Moore, *Studies in Dante*, I series (Oxon. 1896, pp. 282–283); Murari, pp. 243–254; M. Scherillo, *Alcuni capitoli della biografia di Dante*, Aug. Taurinor. 1896, pp. 504–505 (qui negat citari Boethium), Scartazzini, Fr. Torraca ("citano Boezio e si posson citare altri. È vera la sentenza, e perciò ovvia"—igitur quidquid uerum euidens?) et alios commentatores ad locum *Inf.*

Textus boethianus porro citatur et in opere italico *Fiore di Virtù*, cap. V (ed. romanae 1761, 12mo, p. 41). Opus scriptum dialecto bononiensi, postea uersum in tuscanam. T. Casini (*Letteratura italiana*, Romae et Mediol. 1909, I, 577–579) dicit auctorem esse Fr. Thomam Gozzadino, bononiensem saec. XIII, uersionem tuscanam saec. XIV. Ioh. Bottari (*Dizion. di opere anonime ital.* Mediol. 1848–1852, tom. 1–2, p. 417) negat quidquam certe notum de origine operis; forte scriptum saec. XV dicit. Alii putant auctorem esse Fr. Cherubinum, spoletanum O.F.M. saec. XV; alii dicunt compositum ante annum 1323 quo Thomas Aquinas kalendario sanctorum additus, quatenus ille uocatus frater, non sanctus. Quidquid sit, *Flos uirtutis* libellus uulgatissimus olim; "popolarissimo fin presso ai tempi nostri" (Casini, l.c. p. 577). Cfr. adhuc Bartol. Gamba, *Serie dei Testi di lingua*, Venetiis, 1839, pp. 141–142; Adolf. Bartoli, *Storia d. letteratura italiana*, Firenze, 1880, III, p. 347; praesertim C. Frati, *Ricerche sul Fiore di Virtù*, in opere Ern. Monaci, *Studj di Filologia romanza*, Romae, Loescher, 1893, vol. VI, pp. 247–449. Textum bononiensem ed. J. Ulrich, Zürich, 1890.

Chaucer, *Troilus and Criseyde*, III, 1625–1628 (ed. Skeat, p. 270).

§ 2 *falsae opinionis supplicium.* Epicteti *Enchir.* 16: τοῦτον θλίβει οὐ τὸ συμβεβηκός (ἄλλον γὰρ οὐ θλίβει), ἀλλὰ τὸ δόγμα τὸ περὶ τούτου (Tb. 1916, p. 14*).

Seneca, *Dial.* lib. VI (*ad Marciam de consol.*), XIX, 1: "Opinio est ergo quae nos cruciat, et tanti quodque malum est quanti illud taxauimus" (Tb. 1905, *Dial.* p. 179); ita et multi Stoici.

4 iure causari? Atqui uiget incolumis illud pretiosissimum generis humani decus Symmachus socer et, quod uitae pretio non segnis emeres, uir totus ex sapientia uirtu- 15
tibusque factus, suarum securus, tuis ingemiscit iniuriis.
5 Viuit uxor ingenio modesta, pudicitia, pudore praecellens et, ut omnes eius dotes breuiter includam, patri similis. Viuit, inquam, tibique tantum uitae huius exosa spiritum seruat, quoque uno felicitatem minui tuam uel 20
ipsa concesserim, tui desiderio lacrimis ac dolore ta-
6 bescit. Quid dicam liberos consulares, quorum iam, ut in id aetatis pueris, uel paterni uel auiti specimen elucet ingenii? Cum igitur praecipua sit mortalibus uitae cura retinendae, o te si tua bona cognoscas felicem, cui sup- 25
petunt etiam nunc quae uita nemo dubitat esse cariora.

In his spes futuri temporis.

7 Quare sicca iam lacrimas. Nondum est ad unum omnes exosa fortuna, nec tibi nimium ualida tempestas incubuit, quando tenaces haerent ancorae, quae nec praesentis solamen nec futuri spem temporis abesse 30
8 patiantur. Et haereant, inquam, precor. Illis namque manentibus, utcumque se res habeant, enatabimus. Sed quantum ornamentis nostris decesserit, uides.

Nemo unquam satis habet.

9 Et illa: Promouimus, inquit, aliquantum, si te nondum totius tuae sortis piget. Sed delicias tuas ferre non 35
possum, qui abesse aliquid tuae beatitudini tam luctuo-
10 sus atque anxius conqueraris. Quis est enim tam compositae felicitatis, ut non aliqua ex parte cum status sui qualitate rixetur? Anxia enim res est humanorum con-

---

17 *pudicitia*, Ob. *pudicitiae*; Eng. (p. 14) *pudicitia*. B. repetit synonyma. 33 *quantum ornamentis*, Vall. *quantum decus ornamentis*. 34 *aliquantum*, Ob. *aliquantulum*. 37 *compositae*, Vall. (n.) *copiosae*.

---

§ 6 *o te si tua bona cognoscas felicem*. *Georg.* II, 458.

§ 10 *Quis tam compositae felicitatis*... Cfr. *Od.* VIII, 167–177. Eurip. *Supplices*, 269–270: *τῶν γὰρ ἐν βροτοῖς | οὐκ ἐστιν οὐδὲν διὰ τέλους εὐδαιμονοῦν*. Hor. *Carm.* II, 16, 27–28.
Plini *Nat. Hist.* VII, § 130: "Nemo mortalium omnibus horis sapit" (Tb. 1909, p. 46).
Sen. *Dial.* V (*de ira*), lib. III, c. 6, § 5: "Nulli fortuna tam dedita est ut multa tentanti ubique respondeat" (Tb. 1905, p. 115).

dicio bonorum, et quae uel numquam tota proueniat,
11 uel numquam perpetua subsistat. Huic census exuberat, sed est pudori degener sanguis. Hunc nobilitas notum facit, sed angustia rei familiaris inclusus esse mallet ignotus. Ille utroque circumfluus uitam caelibem deflet. Ille nuptiis felix, orbus liberis, alieno censum nutrit heredi. Alius prole laetatus filii filiaeue delictis maestus
12 inlacrimat. Idcirco nemo facile cum fortunae suae condicione concordat. Inest enim singulis quod inexpertus ignoret, expertus exhorreat. Adde quod felicissimi cuiusque delicatissimus sensus est et, nisi ad nutum cuncta suppetant, omnis aduersitatis insolens minimis quibusque prosternitur. Adeo perexigua sunt quae fortunatissimis beatitudinis summam detrahunt.

Multi contenti essent sorte Boethi.

13 Quam multos esse coniectas qui sese caelo proximos arbitrentur, si de fortunae tuae reliquiis pars eis minima contingat? Hic ipse locus quem tu exsilium uocas in-
14 colentibus patria est. Adeo nihil est miserum nisi cum putes, contraque beata sors omnis est aequanimitate tolerantis. Quis est ille tam felix qui cum dederit inpatientiae manus, statum suum mutare non optet? Quam multis amaritudinibus humanae felicitatis dulcedo respersa est. Quae si etiam fruenti iucunda esse uideatur, tamen quo minus cum uelit abeat, retineri non possit.

Felicitas non quaerenda extra nos.

15 Liquet igitur quam sit mortalium rerum misera beatitudo, quae nec apud aequanimos perpetua perdurat, nec anxios tota delectat. Quid igitur o mortales extra petitis intra uos positam felicitatem? Error uos
16 inscitiaque confundit. Ostendam breuiter tibi summae cardinem felicitatis. Estne aliquid tibi te ipso pretiosius?

---

49 *ignoret, expertus.* Sic Eng. (p. 24); alii *ignoret et expertus.*

---

§ 14 *multis amaritudinibus dulcedo respersa.* Lucr. IV, 1131–1134.

§ 15 *extra petitis intra uos positam felicitatem.* Macrobi *comm. in Somn. Scip.* I, c. 9, § 3: "Homini autem, ut diximus, una est cognitio sui, si originis natalisque principii exordia prima respexerit, nec se quaesierit extra" (Tb. p. 521).

Nihil, inquies. Igitur si tui compos fueris, possidebis quod nec tu amittere unquam uelis, nec fortuna possit
17 auferre. Atque ut agnoscas in his fortuitis rebus beatitudinem constare non posse, sic collige.

Si beatitudo est summum naturae bonum ratione degentis, nec est summum bonum quod eripi ullo modo potest, quoniam praecellit id quod nequeat auferri, manifestum est, quin ad beatitudinem percipiendam
18 fortunae instabilitas adspirare non possit. Ad haec quem caduca ista felicitas uehit, uel scit eam uel nescit esse mutabilem. Si nescit, quaenam beata sors esse potest ignorantiae caecitate? Si scit, metuat necesse est ne amittat quod amitti posse non dubitat; quare continuus timor non sinit esse felicem. An uel si amiserit, neglegendum putat? Sic quoque perexile bonum est
19 quod aequo animo feratur amissum. Et quoniam tu idem es cui persuasum atque insitum permultis demonstrationibus scio, mentes hominum nullo modo esse mortales; cumque clarum sit fortuitam felicitatem corporis morte finiri; dubitari nequit, si haec adferre beatitudinem potest, quin omne mortalium genus in miseriam
20 mortis fine labatur. Quod si multos scimus beatitudinis fructum non morte solum, uerum etiam doloribus suppliciisque quaesisse, quonam modo praesens facere beatos potest, quae miseros transacta non efficit?

Fortuna non dat beatitudinem.

---

77 *quin*, Vall. *quod*. 78 *non*, Ob. delet. 81 *caecitate*, Vall. (n.) *caecitati*. 89 *adferre*, Vall. *auferre*.

---

§ 16 Brun. Lat. *Tresor*, L. II, p. II, c. 54: "De quoi dit Boeces: fortune ne saura jà que les choses soient toies qui sont estranges de toi par lor nature" (ed. Chabaille, p. 350).

METRVM IV

Felicitas in aureo medio sita

Quisquis uolet perennem cautus ponere sedem,
stabilisque nec sonori sterni flatibus euri,
et fluctibus minantem curat spernere pontum,
montis cacumen alti, bibulas uitet harenas.
Illud proteruus auster totis uiribus urget, [10]
hae pendulum solutae pondus ferre recusant.
Fugiens periculosam sortem sedis amoenae
humili domum memento certus figere saxo.
Quamuis tonet ruinis miscens aequora uentus,
tu conditus quieti felix robore ualli [20]
duces serenus aeuum ridens aetheris iras.

PROSA V

Incipiunt remedia paulo ualidiora. Diuitiae non sunt uera bona

Validiora fomenta. § 1 Sed quoniam rationum iam in te mearum fomenta descendunt, paulo ualidioribus utendum puto. Age enim, si iam caduca et momentaria fortunae dona non essent, quid in eis est quod aut uestrum umquam fieri queat, aut non perspectum consideratumque uilescat?

Metrum IV: uersus anacreonti, sc. iambici dimetri catalectici, cum pherecratiis:

⏑⏑ – | ⏑ – | ⏑ – | ⏑
⏑⏑ – | – ⏑⏑ | – ⏑

8 Hor. *Carm.* II, 10, 1–12. Sen. *Herc. Fur.* 202–203:

"Humilique loco sed certa sedet
sordida paruae fortuna domus."

Cfr. *Thy.* 455–456; *Phaedr.* 1147–1148. *Oed.* 910–911:

"Tuta me media uehat
uita decurrens uia."

certus figere saxo. Mt. VII, 24–25; Lc. VI, 48–49.

Pr. V–VII. Locus hic repetitur fere III pr. III–VI, sed ut uidetur ex alio fonte. Felicitatem non inueniri in bonis externis, quae numerentur, locus est communis multis philosophis praesertim Cynicis, Stoicis, Platonistis recentioribus. Habet eum Epictetus, *Diss.* III, 22, § 27; Pseudo-Plut. *De Educ. Puer.* c. 8.

De diuitiis.

2 Diuitiaene uel uestra uel sui natura pretiosae sunt? Quid earum potius, aurumne an uis congestae pecuniae? Atqui haec effundendo magis quam coaceruando melius nitent; si quidem auaritia semper odiosos, claros largitas
3 facit. Quod si manere apud quemque non potest quod transfertur in alterum, tunc est pretiosa pecunia, cum translata in alios largiendi usu desinit possideri. At eadem si apud unum quanta est ubique gentium con-
4 geratur, ceteros sui inopes fecerit. Et uox quidem tota pariter multorum replet auditum; uestrae uero diuitiae nisi comminutae in plures transire non possunt. Quod cum factum est, pauperes necesse est faciant quos relinquunt. O igitur angustas inopesque diuitias, quas nec habere totas pluribus licet, et ad quemlibet sine ceterorum paupertate non ueniunt.

De gemmis.

5 An gemmarum fulgor oculos trahit? Sed si quid est in hoc splendore praecipui, gemmarum est lux illa, non hominum, quas quidem mirari homines uehementer
6 admiror. Quid est enim carens animae motu atque compage quod animatae rationabilique naturae pulchrum esse iure uideatur? Quae tametsi conditoris opera suique distinctione postremae aliquid pulchritudinis trahunt, infra uestram tamen excellentiam conlocatae admirationem uestram nullo modo mereantur.

Pr. V, 6 *uestra*, Vall. Ob. *uestri*. 7 *an uis*, Eng. (p. 41) et Ob., *ac uis* Pp. *congestae* Vall. Ob. Eng. (p. 41); Pp. *congesta*, 25 *compage*, Vall. *membrorum compage*. 27 *postremae*, Eng. (p. 32) et Ob., Pp. *postremo*. 29 *mereantur* Eng. (p. 32); Pp. et Ob. *merebantur*.

Pr. V, § 2 *auaritia odiosos facit*. Citat Dantes, *Conv.* IV, XIII, 130–132.

§ 3 *pretiosa pecunia cum translata...* Hor. *Carm.* II, 2, 1–4. Citat Dantes, *Conv.* IV, XIII, 139–142.

§ 4 *uestrae diuitiae nisi comminutae...* Sic *Purg.* XIV, 86–87; XV, 61–63.
Brun. Lat. *Tresor*, L. II, p. II, c. 104: "Boece dit: O estroites et chaitives richesces, quant li plusor ne les pueent avoir trestoutes, et ne vont as uns sanz poureté des autres" (ed. Chabaille, p. 457).

De agris. 7 An uos agrorum pulchritudo delectat? B. Quidni? Est enim pulcherrimi operis pulchra portio. Sic quondam sereni maris facie gaudemus, sic caelum sidera lunam solemque miramur. P. Num te horum aliquid attingit, num audes alicuius talium splendore gloriari? An uernis floribus ipse distingueris, aut tua in aestiuos 8 fructus intumescit ubertas? Quid inanibus gaudiis raperis? Quid externa bona pro tuis amplexaris? Numquam tua faciet esse fortuna quae a te natura rerum 9 fecit aliena. Terrarum quidem fructus animantium procul dubio debentur alimentis. Sed si, quod naturae satis est, replere indigentiam uelis, nihil est quod fortunae affluentiam petas. Paucis enim minimisque natura contenta est; cuius satietatem si superfluis urgere uelis, aut iniucundum quod infuderis fiet, aut noxium.

De uestibus, famulis. 10 Iam uero pulchrum uariis fulgere uestibus putas, quarum si grata intuitu species est, aut materiae na- 11 turam aut ingenium mirabor artificis. An uero te longus ordo famulorum facit esse felicem? Qui si uitiosi moribus sint, perniciosa domus sarcina et ipsi domino uehementer inimica; sin uero probi, quonam modo in tuis opibus aliena probitas numerabitur?

Huiusmodi non bona. 12 Ex quibus omnibus nihil horum quae tu in tuis conputas bonis tuum esse bonum liquido monstratur. Quibus si nihil inest appetendae pulchritudinis, quid 13 est quod uel amissis doleas, uel laeteris retentis? Quod si natura pulchra sunt, quid id tua refert? Nam haec per se a tuis quoque opibus sequestrata placuissent.

---

53 *tu* Vall. om.

---

§ 9 *quod naturae satis est.* Hor. *Carm.* III, 16, 42–44; IV, 9, 45–49; Lucret. V, 1117–1119.

Paucis minimisque natura contenta. Cic. *Tusc. Disp.* V, c. 35, § 102: "Aperta enim res est et cotidie nobis ipsa natura admonet, quam paucis quam paruis rebus egeat, quam uilibus." Lucani *Phars.* IV, 377–378:

"Discite quam paruo liceat producere uitam
et quantum natura petat."

Citatur locus boethianus in opere *Fiore di Virtù* (de quo uide p. 38 n.), cap. 37 (ed. romanae, 1761, p. 151). Brun. Lat. *Tresor*, L. II, p. II, c. 101: "Boeces dit: Nature se tient apaie de petites choses" (ed. Chabaille, p. 447).

Neque enim idcirco sunt pretiosa quod in tuas uenere diuitias; sed quoniam pretiosa uidebantur, tuis ea diui-
14 tiis adnumerare maluisti. Quid autem tanto fortunae strepitu desideratis? Fugare, credo, indigentiam copia
15 quaeritis. Atqui hoc uobis in contrarium cedit. Pluribus quippe adminiculis opus est ad tuendam pretiosae supellectilis uarietatem; uerumque illud est permultis eos indigere qui permulta possideant, contraque minimum qui abundantiam suam naturae necessitate non ambitus superfluitate metiantur.

Verum bonum intus.

16 Itane autem nullum est proprium uobis atque insitum bonum, ut in externis ac sepositis rebus bona uestra quaeratis? Sic rerum uersa condicio est ut diuinum merito rationis animal non aliter sibi splendere, nisi

Non in rebus inferioribus.

17 inanimatae supellectilis possessione uideatur? Et alia quidem suis contenta sunt; uos autem, Deo mente consimiles, ab rebus infimis excellentis naturae ornamenta captatis; nec intellegitis quantam conditori uestro faciatis iniuriam. Ille genus humanum terrenis omnibus praestare uoluit; uos dignitatem uestram infra infima
18 quaeque detruditis. Nam si omne cuiusque bonum eo cuius est constat esse pretiosius, cum uilissima rerum uestra bona esse iudicatis, eisdem uosmet ipsos uestra existimatione submittitis; quod quidem haud inmerito
19 cadit. Humanae quippe naturae ista condicio est, ut tum tantum ceteris rebus, cum se cognoscit, excellat; eadem tamen infra bestias redigatur, si se nosse desierit.

66 *minimum*. Sic Eng. (p. 25), licet regitur a uerbo *indigere*. Alii (Vall. Ob. n.) corrigunt: *minimo*. 76 *nec*, Ob. *neque*. 79 *eo cuius*, Ob. *quod eo cuius*. 82 *existimatione*, Vall. *aestimatione*.

§ 14 *fortunae strepitu*, sc. tumultuosa laude fortunae.
§ 15 *permultis indigere*... Hor. *Carm.* IV, 9, 45–49.
§ 17 *uos Deo mente consimiles*. Gen. I, 27; V, 1.
genus humanum praestat. Gen. I, 28; Ps. VIII, 8.
dignitatem infra infima detruditis. Epict. *Diatrib.* IV, c. 1, § 54: Res quae possides fiunt dominae tuae.
§ 19 *cum se cognoscit*. Notum illud Γνῶθι σεαυτόν, inscriptum templo delphico. Platon. *Protag.* 343 B; *Phaedr.* IV, 230 A; *Charm.* XII, 164 D. Hierocles *in aur. carm.* X (Mullach, I, 435, 436); Ouidius, *Artis amat.* II, 499–500; Iuuenalis, XI, 27; Macrobius *in Somn. Scip.* I, c. 9, § 2. Cfr. Erasmi

Nam ceteris animantibus sese ignorare naturae est,
20 hominibus uitio uenit. Quam uero late patet uester hic
error, qui ornari posse aliquid ornamentis existimatis
alienis? At id fieri nequit. Nam si quid ex appositis
luceat, ipsa quidem quae sunt apposita laudantur, illud
uero his tectum atque uelatum in sua nihilo minus foedi-
Hae res nocere possunt. 21 tate perdurat. Ego uero nego ullum esse bonum quod
noceat habenti. Num id mentior? Minime, inquis.
Atqui diuitiae possidentibus persaepe nocuerunt, cum
pessimus quisque, eoque alieni magis auidus, quidquid
usquam auri gemmarumque est, se solum qui habeat
22 dignissimum putat. Tu igitur qui nunc contum gladium-
que sollicitus pertimescis, si uitae huius callem uacuus
uiator intrasses, coram latrone cantares. O praeclara
opum mortalium beatitudo, quam cum adeptus fueris
securus esse desistis.

87 *hominibus*, Vall. *hominibus uero.* 92 *ullum*, Vall. *illud.* 93 *inquis*, Vall. *inquies.*

Adagia, chil. I, cent. VII, prou. 95 (ed. Lugd. Bat. 1703, tom. II, col. 258–259).

§ 22 *Tu qui contum gladiumque pertimescis*, etc. Iuuen. *Sat.* X, 20–22:

> "Nocte iter ingressus gladium contumque timebis
> et motae ad lunam trepidabis arundinis umbras:
> cantabit uacuus coram latrone uiator."

Conv. IV, xiii, 108–110: "E però dice il Savio: se vôto camminatore entrasse nel cammino, dinanzi a' ladroni canterebbe." Quaestio ergo occurrit: utrum citat Dantes, Boethium an Iuuenalem, uter est "sapiens" hic? Cl. Ed. Moore opinatur esse Boethium, quatenus locutio Dantis respondeat magis textui eius quam uersibus poetae (*Studies in Dante*, I, 257–258). Porro, licet frequens sit usus uocandi poetas sapientes, tamen titulus honorificus melius uidetur conuenire philosopho, quem multis locis honorat diuinus poeta, quam Iuuenali, de quo parum boni dicere quis. Paget Toynbee (*Dante Dictionary*, s. u. Boezio et Giovenale) non dubitat quin asserat Boethium immediatum fontem loci. Dubitat tamen R. Murari (pp. 247–249), qui notat contextum Dantis respicere uersus Iuuenalis 19 ("pauca licet portes argenti uascula puri") et 21, de quibus Boethius nihil. Manet ergo dicendum Danten aut citare Iuuenalem, memorem tamen loci boethiani, aut dum citet Boethium incidere in alios uersus pristini fontis. Reuera quibus notus textus e pluribus operibus haec non raro coagulantur memoria. Ceterum cfr. et M. Scherillo, *Alcuni capitoli d. biogr. di Dante* (Aug. Taur. 1896), pp. 502–504.

METRVM V

Felix prior aetas qua paucis homines contenti

Felix nimium prior aetas
contenta fidelibus aruis
nec inerti perdita luxu,
facili quae sera solebat
ieiunia soluere glande.
Non bacchica munera norant
liquido confundere melle
nec lucida uellera serum
tyrio miscere ueneno.
Somnos dabat herba salubres,
potum quoque lubricus amnis,
umbras altissima pinus.
Nondum maris alta secabat,
nec mercibus undique lectis
noua litora uiderat hospes.
Tunc classica saeua tacebant,
odiis neque fusus acerbis
cruor torrida tinxerat arua.
Quid enim furor hosticus ulla

M. V, 18 *torrida*, ita Nolte p. 89 (uide infra). Vall. Ob. Peiper *horrida*. *arua*, Vall. *arma*.

Metrum V anapaesticum dim. catal.

⏑⏑ – | ⏑⏑ – | ⏑ ⏑ – | ⏑

1–18 *Felix prior aetas*. Verg. *Ge.* I, 125–128; Lucr. V, 7–18, etc.; Tibulli lib. I, el. 3, 35–48; Iuuen. *Sat.* VI, 1–13; Hor. *Epod.* XVI, 41–62; Ouidi *Metam.* I, 89–112; Sen. *Phaedr.* 533–546; *Med.* 329–334. Cfr. *Purg.* XXII, 48–50.

8 Cfr. *Georg.* II, 121.

13–15 Hesiodi *Op. et dies*, 236–237:

οὐδ' ἐπὶ νηῶν
νίσσονται, καρπὸν δὲ φέρει ζείδωρος ἄρουρα.

Tibulli I eleg. 3, 37–40:

"Nondum caeruleas pinus contempserat undas,
effusum uentis praebueratque sinum,
nec uagus ignotis repetens compendia terris
presserat externa nauita merce ratem."

Sic et notissimi uersus Verg. *Eclog.* IV, 38–39; Hor. *Epod.* XVI, 57–60, etc. Locus communis auctoribus ueteribus.

18 Imitatur Lucanum, *Phars.* IV, 239–240:

"Si torrida paruus
uenit in ora cruor."

uellet prior arma mouere,
cum uulnera saeua uiderent
nec praemia sanguinis ulla?
Vtinam modo nostra redirent
in mores tempora priscos.
Sed saeuior ignibus Aetnae
feruens amor ardet habendi.
Heu primus quis fuit ille
auri qui pondera tecti
gemmasque latere uolentes
pretiosa pericula fodit?

PROSA VI

Dignitates ac potentia non uerum bonum

Pessimi saepe potentes fiunt.

§ 1 Quid autem de dignitatibus potentiaque disseram quae uos uerae dignitatis ac potestatis inscii caelo exaequatis? Quae si in improbissimum quemque ceciderunt, quae flammis Aetnae eructuantibus, quod diluuium tantas 2 strages dederint? Certe, uti meminisse te arbitror, consulare imperium, quod libertatis principium fuerat, ob superbiam consulum uestri ueteres abolere cupiuerunt, qui ob eandem superbiam prius regium de ciuitate 3 nomen abstulerant. At si quando, quod perrarum est, probis deferantur, quid in eis aliud quam probitas utentium placet? Ita fit ut non uirtutibus ex dignitate, sed ex uirtute dignitatibus honor accedat.

Potentia externa non afficit animam.

4 Quae uero est ista uestra expetibilis ac praeclara potentia? Nonne, o terrena animalia, consideratis quibus 5 qui praesidere uideamini? Nunc si inter mures uideres unum aliquem ius sibi ac potestatem prae ceteris uindicantem, quanto mouereris cachinno. Quid uero, si cor-

---

25 *Aetnae*, Vall. *Aetna*. Pr. VI, 1 *quae* Eng. (p. 41); Pp. *qua*; Ob. *quas*. 3 *quae flammis*, Ob. *quae incendia*; Eng. (p. 11) delet *incendia*. *Aetnae* nom. pl. sensu generali. 15 *Nunc*, Vall. *nam*.

27–30 Cfr. *Conv.* IV, xii, 35–39.

Pr. VI, § 3 Brun. Lat. *Tresor*, L. II, p. II, c. 104: "Boeces dit: L'onors des vertus ne fu pas trovée par les dignitez, mais l'onors des dignitez vient par les vertus: car vertus a sa propre dignité" (ed. Chabaille, p. 457).

pus spectes, inbecillius homine reperire queas, quos saepe muscularum quoque uel morsus uel in secreta
6 quaeque reptantium necat introitus? Quo uero quis- 20
quam ius aliquod in quempiam, nisi in solum corpus et quod infra corpus est, fortunam loquor, possit exserere? Num quidquam libero imperabis animo? Num mentem firma sibi ratione cohaerentem de statu propriae quietis
7 amouebis? Cum liberum quendam uirum suppliciis se 25
tyrannus adacturum putaret, ut aduersum se factae coniurationis conscios proderet, linguam ille momordit atque abscidit et in os tyranni saeuientis abiecit. Ita cruciatus, quos putabat tyrannus materiam crudelitatis,
8 uir sapiens fecit esse uirtutis. Quid autem est quod in 30
alium facere quisque possit, quod sustinere ab alio ipse non possit? Busiridem accipimus necare hospites solitum ab Hercule hospite fuisse mactatum. Regulus

---

22 *exserere*, Ob. *exercere*. 23 *Num quidquam* Vall. addit *umquam*. 31 *quisque*, Ob. *quisquam*.

---

§ 6 *Quo ius nisi in corpus et fortunam?* Sen. *de Benef.* III, c. 20, § 2; *ad Heluiam*, c. 11, § 7.

§ 7 *linguam ille momordit.* Zeno eleates (de quo supra, p. 9), Diog. Laert. IX, c. 5, § 5; Euseb. *Praep. Euang.* X, 14 (P.G. XXI, 840). Vel est Anaxarchus philosophus natus Abderae Thraciae, saec. IV ante Xtum, quem Nicocreon rex Salaminis Cypriae iussit occidi, de quo idem narratur. Diog. Laert. IX, c. 10, § 2; de Anaxarcho Cic. *Tusc. disp.* II, c. 22, § 52; *de nat. deor.* III, c. 33, § 82.

§ 8 *Busiris* rex aegyptius, filius Poseidonis. Mythus de Hercule et Busiride narratur ab Herod. II, 45; Diodoro, IV, c. 27, §§ 2–3; Apollodoro, *Biblioth.* II, c. 5, § 11, no. 6 (Tb. 1854, p. 61). Cfr. Sen. *Herc. Fur.* 487–488; Claudiani *in Ruf.* I, 254; *Ciu. Dei*, XVIII, c. 12 (Tb. p. 271, 4–6).

M. Atilius Regulus. Cos. 256 ante Xt. uictus, captus a Poenis iuxta Carthaginem anno 255. Quae narrantur de consilio dato senatui a Regulo anno 250, deque eius martyrio, ignota Polybio, uidentur ficta. Vide Cic. *de Offic.* III, c. 26, § 99 (qui primus haec narrat); Hor. *Carm.* III, 5, 13–56; Sil. Ital. VI, 430–530; *de Vir. illustr.* (inter opp. S. Aureli Victoris) 40 (Tb. 1911, p. 48); *Ciu. Dei*, III, 18. Epitome Liuii XVIII: "Regulus missus a Carthaginiensibus ad senatum, ut de pace et si eam non posset impetrare de commutandis captiuis ageret, et iure iurando adstrictus rediturum se Carthaginem si commutari captiuos non placuisset, utrumque negandi auctor senatui fuit, et cum fide custodita reuersurus esset supplicio a Carthaginiensibus de eo sumpto periit" (Tb. Liu. 1863, II, p. 204).

plures Poenorum bello captos in uincla coniecerat; sed
9 mox ipse uictorum catenis manus praebuit. Vllamne
igitur eius hominis potentiam putas, qui quod ipse in
alio potest, ne id in se alter ualeat efficere non possit?

Potentia non reddit hominem bonum.

10 Ad haec si ipsis dignitatibus ac potestatibus inesset
aliquid naturalis ac proprii boni, numquam pessimis
prouenirent. Neque enim sibi solent aduersa sociari.
11 Natura respuit ut contraria quaeque iungantur. Ita cum
pessimos plerumque dignitatibus fungi dubium non sit,
illud etiam liquet, natura sui bona non esse quae se
12 pessimis haerere patiantur. Quod quidem de cunctis
fortunae muneribus dignius existimari potest, quae ad
13 improbissimum quemque uberiora perueniunt. De qui-
bus illud etiam considerandum puto, quod nemo dubi-
tat esse fortem, cui fortitudinem inesse conspexerit;
et cuicumque uelocitas adest manifestum est esse uelo-
cem. Sic musica quidem musicos, medicina medicos,
14 rhetorice rhetores facit. Agit enim cuiusque rei natura
quod proprium est, nec contrariarum rerum miscetur
15 effectibus, sed ultro quae sunt auersa depellit. Atqui
nec opes inexpletam restinguere auaritiam queunt, nec
potestas sui compotem fecerit, quem uitiosae libidines
insolubilibus adstrictum retinent catenis: et collata im-
probis dignitas non modo non efficit dignos, sed prodit
16 potius et ostentat indignos. Cur ita prouenit? Gaudetis
enim res sese aliter habentes falsis compellare nominibus,
quae facile ipsarum rerum redarguuntur effectu; itaque
nec illae diuitiae, nec illa potentia, nec haec dignitas iure
17 appellari potest. Postremo idem de tota concludere
fortuna licet, in qua nihil expetendum, nihil natiuae
bonitatis inesse manifestum est, quae nec se bonis sem-
per adiungit, et bonos quibus fuerit adiuncta non efficit.

---

46 *perueniunt*, Vall. Ob. *proueniunt*. 53 *sed ultro*. Ita Ob. Nolte (p. 89). Vall. Peiper, *et ultro*. *auersa*, Ob. *aduersa*.

---

§ 17 *Munera fortunae non efficiunt bonos*. Omnino platonicum hoc, quod saepe diuersis argumentis demonstratum recurrit in dialogis; cfr. praesertim *Gorgiam*, 494 B–500 A.
Locum citat Petrus de Luna, *Consolaciones de la Vida humana*, 1 (ed. cit. p. 566).

METRVM VI

Potentissimus Nero sed pessimus

Nouimus quantas dederit ruinas
urbe flammata patribusque caesis
fratre qui quondam ferus interempto
matris effuso maduit cruore
corpus et uisu gelidum pererrans
ora non tinxit lacrimis, sed esse
censor extincti potuit decoris.
Hic tamen sceptro populos regebat
quos uidet condens radios sub undas
Phoebus extremo ueniens ab ortu;
quos premunt septem gelidi triones,
quod notus sicco uiolentus aestu
torret ardentes recoquens harenas.
Celsa num tandem ualuit potestas
uertere ignaui rabiem Neronis?
Heu grauem sortem quotiens iniquus
additur saeuo gladius ueneno.

M. VI, 15 *ignaui*, Vall. *insani*; Ob. *praui*.

Metrum VI sapphicum:

$$- \cup \mid - - \mid - \parallel \cup\cup \mid - \cup \mid - \cup$$

(carens adonio).

Imitatur Liudprandus, *Antap.* IV, 15: "Ipse qui condam superare gentes" etc. (M.G.H. v, 320).

1–2 *Nero incendit urbem.* Vrbs cremata a.D. 64, sed huius saltem criminis innocens Nero. Tac. *Ann.* XV, 38–39 (cfr. 44); Suetoni lib. VI, 38.

2 *patres caesi*, Rubellius Plautus et Cornelius Sulla senatores interfecti c. 60. Tac. *Ann.* XIV, 59, 57; Suetoni, VI, 37.

3 *frater interemptus.* Tib. Claudius Germanicus, *Britannicus*, fil. Claudi et Messalinae, ueneno occisus, a.D. 55. Tac. *Ann.* XIII, 15–17; Suet. VI, 33.

4–7 *mater occisa.* Agrippina, anno 59. Tac. *Ann.* XIV, 1–9: "Aspexeritne matrem exanimem Nero et formam corporis eius laudauerit, sunt qui tradiderint, sunt qui abnuant" (9); Suet. VI, 34; (Sen.) *Octau.* 372–387.

(Sen.) *Octau.* 245–249:

> "Haec grauior illo pestis: hic hostis deum
> hominumque templis expulit superos suis
> ciuesque patria. Spiritum fratri abstulit,
> hausit cruorem matris et lucem uidet
> fruiturque uita noxiam atque animam trahit."

8–13 citat Dantes, *Mon.* II, 9, 91–98.

PROSA VII

Fama et gloria non uerum bonum

Gloriae cupido homines tentat.

§ 1 Tum ego: Scis, inquam, ipsa minimum nobis ambitionem mortalium rerum fuisse dominatam; sed materiam gerendis rebus optauimus, quo ne uirtus tacita 2 consenesceret. Et illa: Atqui hoc unum est quod praestantes quidem natura mentes, sed nondum ad extremam manum uirtutum perfectione perductas, allicere possit, gloriae scilicet cupido et optimorum in rem publicam fama meritorum; quae quam sit exilis et totius uacua ponderis, sic considera.

Fama ultra artum limitem non extenditur.

3 Omnem terrae ambitum, sicuti astrologicis demonstrationibus accepisti, ad caeli spatium puncti constat obtinere rationem, id est ut, si ad caelestis globi magnitudinem conferatur, nihil spatii prorsus habere iudicetur. Huius igitur tam exiguae in mundo regionis quarta fere portio est, sicut Ptolomaeo probante didicisti, quae nobis cognitis animantibus incolatur. Huic quartae, si quantum maria paludesque premunt, quantumque siti uasta regio distenditur, cogitatione subtraxeris, uix angustis- 4 sima inhabitandi hominibus area relinquetur. In hoc

---

Pr. VII, 15 *quae nobis*, Vall. Ob. *quae a nobis*; alii, *quae nobis cognitis ab animalibus* (Vall. n.).

Pr. VII, § 3 *terra punctum ad spatium caeli.* Ita omnes. Ptolomaei *Syntaxis mathem.* ut infra. Cic. *Tusc. disp.* I, c. 17, § 40: "Persuadent enim mathematici terram in medio mundo sitam ad uniuersi caeli complexum quasi puncti instar obtinere, quod κέντρον illi uocant." *Reipub.* VI (Somn. Scip.) 16: "Iam ipsa terra ita mihi parua uisa est, ut me imperii nostri, quo quasi punctum eius attingimus, paeniteret." Macrob. *comm. in Somn. Scip.* II, c. 5, §§ 1–3, c. 9, § 9. C. Plini Sec. *Nat. Hist.* II, 174: "Detrahantur hae tot portiones terrae, immo uero, ut plures tradidere, mundi puncto (neque enim aliud est terra in uniuerso); haec est materia gloriae nostrae, haec sedes, hic honores gerimus." Amm. Marc. XV, 1, § 2; Mart. Cap. VI, 584, vv. 7–8:

"Tellus quae rapidum consistens suspicit orbem
puncti instar medio haeserat ima loco."

M. Aurelius, IV, 3: ὅλη τε γὰρ ἡ γῆ στιγμή. Cfr. VI, 36.
Ptolomaeo probante. Syntaxis mathem. II, c. 1 (Tb. 1898, I, pp. 87–88).
siti uasta regio distenditur. Aen. IV, 42.
angustissima area. M. Aurelius, III, 10: μικρὸν τὸ τῆς γῆς

igitur minimo puncti quodammodo puncto circumsaepti atque conclusi de peruulganda fama, de proferendo nomine cogitatis? Vt quid habeat amplum magnificumque gloria tam angustis exiguisque limitibus
5 artata? Adde quod hoc ipsum breuis habitaculi saeptum plures incolunt nationes, lingua, moribus, totius uitae ratione distantes, ad quas tum difficultate itinerum, tum loquendi diuersitate, tum commercii insolentia non modo fama hominum singulorum, sed ne urbium qui-
6 dem peruenire queat. Aetate denique Marci Tulli, sicut ipse in quodam loco significat, nondum Caucasum montem romanae reipublicae fama transcenderat, et erat tunc adulta, Parthis etiam ceterisque id locorum
7 gentibus formidolosa. Videsne igitur quam sit angusta, quam compressa gloria quam dilatare ac propagare laboratis? An ubi romani nominis transire fama nequit,
8 romani hominis gloria progredietur? Quid quod diuersarum gentium mores inter se, atque instituta, discordant, ut quod apud alios laude, apud alios supplicio dignum iudicetur? Quo fit ut si quem famae praedicatio delectat, huic in plurimos populos nomen proferre
9 nullo modo conducat. Erit igitur peruagata inter suos gloria quisque contentus, et intra unius gentis terminos praeclara illa famae inmortalitas coartabitur.

---

20 *quodammodo*. Sic Nolte, p. 89. Vall. Ob. Peiper, *quodam*. 22 *Vt*, Ob. *At*. 30 *in*, Ob. om. 34 *dilatare ac propagare*, Vall. *propagare ac dilatare*.

γωνίδιον ὅπου ζῇ (ἕκαστος). Cfr. Plat. *Phaed.* 109 A–B. *Mon.* III, xvi, 90; *Par.* XXII, 151; XXVII, 86.

§ 6 *Marcus Tullius*. Cic. *Reipub.* VI (Somn. Scip.), c. 20, § 22: "Ex his ipsis cultis notisque terris num aut tuum aut cuiusquam nostrum nomen uel Caucasum hunc quem cernis transcendere potuit uel illum Gangen tranatare?" Macrob. in *Somn. Scip.* II, c. 10, § 3 (Tb. p. 617).

§ 7 *quam angusta gloria*. Aristot. *Protrept.* *Τιμαὶ δὲ καὶ δόξαι τὰ ζηλούμενα μᾶλλον τῶν λοιπῶν ἀδιηγήτου γέμει φλυαρίας. τῷ γὰρ καθορῶντι τῶν ἀϊδίων τι ἠλίθιον περὶ ταῦτα σπουδάζειν. τί δ' ἐστὶ μακρὸν ἢ τί πολυχρόνιον τῶν ἀνθρωπίνων; ἀλλὰ διὰ τὴν ἡμετέραν ἀσθένειαν οἶμαι καὶ βίου βραχύτητα καὶ τοῦτο φαίνεται πολύ* (*Aristot. Fragm.* ed. V. Rose, Tb. 1886, no. 59, p. 70). Cic. *Hortensi* fragm. 87: "Ne in continentibus quidem terris uestrum nomen dilatari potest" (Tb. *Cic.* part. IV, uol. III, 1879, p. 323).

Gloria mox deletur.

10 Sed quam multos clarissimos suis temporibus uiros scriptorum inops deleuit obliuio. Quamquam quid ipsa scripta proficiant, quae cum suis auctoribus premit
11 longior atque obscura uetustas? Vos uero inmortalitatem uobis propagare uidemini, cum futuri famam temporis cogitatis. Quod si aeternitatis infinita spatia pertractes, quid habes quod de nominis tui diuturnitate
12 laeteris? Vnius etenim mora momenti, si decem milibus conferatur annis, quoniam utrumque spatium definitum est, minimam licet, habet tamen aliquam, portionem.
13 At hic ipse numerus annorum eiusque quamlibet multiplex ad interminabilem diuturnitatem ne comparari quidem potest. Etenim finitis ad se inuicem fuerit quaedam, infiniti uero atque finiti nulla umquam poterit
14 esse collatio. Ita fit ut quamlibet prolixi temporis fama, si cum inexhausta aeternitate cogitetur, non parua sed plane nulla esse uideatur. Vos autem nisi ad populares auras inanesque rumores recte facere nescitis, et relicta conscientiae uirtutisque praestantia de alienis praemia sermunculis postulatis.

Iactantia uitiat gloriam.

15 Accipe in huiusmodi arrogantiae leuitate quam festiue aliquis inluserit. Nam cum quidam adortus esset hominem contumeliis, qui non ad uerae uirtutis usum, sed ad superbam gloriam falsum sibi philosophi nomen induerat, adiecissetque iam se sciturum, an ille philosophus esset, si quidem illatas iniurias leniter patienterque tolerasset; ille patientiam paulisper adsumpsit acceptaque contumelia uelut insultans: Iam tandem, inquit, intellegis me esse philosophum? Tum ille nimium mordaciter: Intellexeram, inquit, si tacuisses.

54 *quamlibet*, Vall. *quantumlibet*.

§ 10 *clarissimos deleuit obliuio.* M. Aurelius, VII, 19; Hor. *Carm.* IV, 9, 25–28.

§§ 11–14 *fama breuis comparata aeternitati.* M. Aurelius, VI, 59: ὡς ταχέως ὁ αἰὼν πάντα καλύψει καὶ ὅσα ἐκάλυψεν ἤδη. Cfr. IV, 3. Cfr. *Purg.* XI, 103–108.

§ 14 *populares auras inanesque rumores.* Brun. Lat. *Tresor*, L. II, p. II, c. 102: "De quoi Boece dit: Gloire en mainz milliers d'omes n'est autre chose fors que uns enflemens de oroilles" (ed. Chabaille, p. 450).

16 Quid autem est quod ad praecipuos uiros, de his enim sermo est, qui uirtute gloriam petunt, quid, inquam, est quod ad hos de fama post resolutum morte suprema corpus attineat? Nam si, quod nostrae rationes credi uetant, toti moriuntur homines, nulla est omnino gloria;
17 cum is cuius ea esse dicitur non exstet omnino. Sin uero bene sibi mens conscia terreno carcere resoluta caelum libera petit, nonne omne terrenum negotium spernet, quae se caelo fruens terrenis gaudet exemptam?

METRVM VII

Mox pereunte fama homo bis moritur

Quicumque solam mente praecipiti petit
summumque credit gloriam,
late patentes aetheris cernat plagas
artumque terrarum situm.
Breuem replere non ualentis ambitum
pudebit aucti nominis.
Quid, o superbi, colla mortali iugo
frustra leuare gestiunt?
Licet remotos fama per populos means
diffusa linguas explicet,
et magna titulis fulgeat claris domus;
mors spernit altam gloriam,
inuoluit humile pariter et celsum caput
aequatque summis infima.
Vbi nunc fidelis ossa Fabrici manent,
quid Brutus aut rigidus Cato?
Signat superstes fama tenuis pauculis

---

82 *spernet*, Vall., Nolte, p. 89. Peiper, *spernat*; Ob. *spernit*. M. VII, 15 *manent*, Vall. *iacent*.

---

§ 17 citatur a Petro de Luna, *Consolaciones de la Vida humana*, 1 (ed. cit. p. 566).

Metrum VII iambicum: trimetri cum dimetris (= Hor. *Epod.* 1–10):

⏑ – | ⏑ – | ⏑ ‖ – | ⏑ – | ⏑ – | ⏑ ⏓
⏑ – | ⏑ – | ⏑ – | ⏑ ⏓

12–14 Cfr. Hor. *Carm.* 1, 4, 13–14; 1, 28, 1–16; Sen. ep. 91 (= lib. XIV, 3), § 16: "Aequat omnes cinis. Impares nascimur, pares

inane nomen litteris.
Sed quod decora nouimus uocabula,
num scire consumptos datur?
Iacetis ergo prorsus ignorabiles,
nec fama notos efficit.
Quod si putatis longius uitam trahi
mortalis aura nominis,
cum sera uobis rapiet hoc etiam dies,
iam uos secunda mors manet.

morimur." Sil. Ital. XIII, 776–777:

"Croesi mox aduolat umbra
diues apud superos, sed mors aequarat egenis."

Brun. Lat. *Tresor*, L. II, p. II, c. 102: "Boeces dit: Mors despite gloire toute et envelope les haus et les bas, et igalist touz" (ed. Chabaille, p. 450).

15 *Gaius Fabricius Luscinus*. Cos. 278 ante Xt., dux romanorum adu. Pyrrhum regem Epiri, cui renuntiat proditionem perfugae epirotae polliciti se regem necaturum. Cic. *de Off.* I, cap. 13, § 40; III, c. 22, § 86; III, c. 4, § 16: "Fabricius iustus nominatur." Sen. ep. 120 (=lib. XX, 3), § 6; Val. Maximus, IV, c. 3, § 6; c. 4, §§ 3, 11. Claudianus, *de bello gothico*, 130–131:

"Et nulli peruia culpae
pectora Fabricii donis inuicta uel armis."

Auli Gelli *Noctium Attic.* lib. I, c. 14; III, c. 8; IV, c. 8.

16 *Lucius Iunius Brutus* primus Cos., expulso Tarquinio superbo 509 ante Xt., de quo T. Liuius, I, 56–II, 1. Claud. *de consul. Stilich.* II, 323–325:

"Libertas populi primo tunc consule Bruto
reddita per fasces, his fascibus expulit ipsis
seruitium."

M. Porcius Cato (maior) cos. 195 ante Xt. *Cato Uticensis* (minor) se occidit anno 46 ante Xt. Vterque notissimus.

15–18 Cfr. M. Aurelium, VII, 19.

26 *secunda mors*. Forte alludit ad h. loc. Dantes, *Inf.* I, 117 (licet alio sensu). Cfr. Murari, 378–379.

17–26 Cfr. Ausonii *Epitaph.* XXXII, ll. 9–10:

"Miremur periisse homines? monumenta fatiscunt,
mors etiam saxis nominibusque uenit"

(ed. R. Peiper, Tb. 1886, p. 84).

Ouidi *Fast.* V, 131–132; Martial, lib. X, *Epigr.* 2. 11–12; Iuuen. *Sat.* X, 146; Cic. *pro M. Marcello*, § 11; Seneca, *ad Paulinum de breu. uitae*, c. XV, 4.

PROSA VIII

Aduersa fortuna praestat prosperae

§ 1 Sed ne me inexorabile contra fortunam gerere bellum putes, est aliquando cum de hominibus fallax illa nihil bene mereatur; tum scilicet cum se aperit, cum frontem detegit moresque profitetur. Nondum forte quid loquar 2 intellegis. Mirum est quod dicere gestio, eoque sententiam uerbis explicare uix queo. Etenim plus hominibus reor aduersam quam prosperam prodesse fortunam. 3 Illa enim semper specie felicitatis, cum uidetur blanda, mentitur; haec semper uera est, cum se instabilem mutatione demonstrat. Illa fallit, haec instruit; illa mendacium specie bonorum mentes fruentium ligat, 4 haec cognitione fragilis felicitatis absoluit. Itaque illam uideas uentosam, fluentem, suique semper ignaram, hanc sobriam succinctamque, et ipsius aduersitatis exercitatione prudentem. Postremo felix a uero bono deuios blanditiis trahit, aduersa plerumque ad uera bona reduces unco retrahit.

Aduersa fortuna prodest homini.

5 An hoc inter minima aestimandum putas, quod amicorum tibi fidelium mentes haec aspera, haec horribilis fortuna detexit, haec tibi certos sodalium uultus ambiguosque secreuit, discedens suos abstulit, tuos reliquit? Quanti hoc integer, ut uidebaris tibi fortunatus, 6 emisses. Desine amissas opes quaerere; quod pretiosissimum diuitiarum genus est, amicos inuenisti.

Detegit ueros amicos.

Pr. VIII, 2 *nihil*, Ob. *non nihil*. 23 *Desine*, Ob. *Desine nunc*; Vall. *Desine nunc et*.

Pr. VIII, § 1 *inexorabile bellum gerere*. Citatur a Iohanne Sarisberiensi (eppo carnotensi, 1176–1180), sed mutat significationem. *Polycratici* lib. v, 10 (P.L. CXCIX, 564 D).

§§ 2–5 Locum citat Petrus de Luna, *Consolaciones de la Vida humana*, I (ed. cit. p. 566).

§ 5 *discedens suos abstulit*. Ita Ouidius, *Trist.* I, 9, 5–6:

"Donec eris sospes multos numerabis amicos:
tempora si fuerint nubila, solus eris."

Chaucer, *Fortune*, 33–34:

"I have thee taught divisioun bi-twene
Frend of effect and frend of countenaunce"
(ed. W. Skeat, p. 120).

METRVM VIII

Amore reguntur omnia

Quod mundus stabili fide
concordes uariat uices,
quod pugnantia semina
foedus perpetuum tenent,
quod Phoebus roseum diem
curru prouehit aureo,
ut quas duxerit Hesperos
Phoebe noctibus imperet,
ut fluctus auidum mare
certo fine coerceat,
ne terris liceat uagis
latos tendere terminos;
hanc rerum seriem ligat
terras ac pelagus regens
et caelo imperitans amor.
Hic si frena remiserit,
quidquid nunc amat inuicem
bellum continuo geret,

M. VIII, 7 *Hesperos*, Ob. *Hesperus*.

Metrum VIII glyconium:

– – | – ∪ ∪ | – ∪⏑

Cfr. Alani de Insulis *Lib. de planctu Naturae*, "Verba Alani ad Naturam:

O Dei proles, genitrixque rerum,
uinculum mundi, stabilisque nexus,
gemma terrenis, speculum caducis
Lucifer orbis" (P.L. CCX, 447).

2 M. Manili *Astronomic.* I, 537–538:
"Omnia concordi tractu ueniuntque caduntque,
Qua semel incubuit caelum uersumque resurgit"
(Postgate, II, p. 10).

3 Claudianus *de raptu Proserp.* I, 42–43:
"Paene reluctatis iterum pugnantia rebus
rupissent elementa fidem"
(Mart. Cap. I, § 1, 5–10 (Tb. p. 1)).

15 Empedoclis carmen (e 1 phys.), 68: ἄλλοτε μὲν φιλότητι συνερχόμεν' εἰς ἓν ἅπαντα (F. G. Mullach, *Fragm. phil. graec.* Didot, 1860, tom. I, p. 3). Cfr. l. 131, ib. p. 4.
Platon. *Sympos.* 186 A–B; *Tim.* 32 C: φιλίαν τε ἔσχεν, et saepe in opp. Platonis. Cfr. *Par.* I, 74.

et quam nunc socia fide
pulchris motibus incitant,
certent soluere machinam.
Hic sancto populos quoque
iunctos foedere continet;
hic et coniugii sacrum
castis nectit amoribus;
hic fidis etiam sua
dictat iura sodalibus.
O felix hominum genus,
si uestros animos amor
quo caelum regitur regat.

28–30 Platon. *Leg.* IV, 711 D–E. Citatur uersus boeth. *Mon.* I, 9, 25–28.

[III. INCIPIVNT REMEDIA ACRIORA. VERA NOTIO FELICITATIS]

PROSA I

Boethius nunc ad ueram felicitatem ducetur

Philosophia iam refouit Boethium.

§ 1 IAM cantum illa finiuerat, cum me audiendi auidum stupentemque arrectis adhuc auribus carminis mulcedo defixerat. Itaque paulo post: O, inquam, summum lassorum solamen animorum, quantum me uel 2 sententiarum pondere, uel canendi etiam iucunditate refouisti. Adeo ut iam me posthac inparem fortunae ictibus esse non arbitrer. Itaque remedia quae paulo acriora esse dicebas, non modo non perhorresco, sed 3 audiendi auidus uehementer efflagito. Tum illa: Sensi, inquit, cum uerba nostra tacitus attentusque rapiebas, eumque tuae mentis habitum uel exspectaui uel, quod est uerius, ipsa perfeci; talia sunt quippe quae restant, ut degustata quidem mordeant, interius autem recepta 4 dulcescant. Sed quod tu te audiendi cupidum dicis, quanto ardore flagrares, si quonam te ducere aggrediamur agnosceres? B. Quonam? inquam. P. Ad ueram, 5 inquit, felicitatem, quam tuus quoque somniat animus, sed occupato ad imagines uisu ipsam illam non potest intueri. B. Tum ego: Fac obsecro, et quae illa uera sit 6 sine cunctatione demonstra. P. Faciam, inquit illa, tui causa libenter. Sed quae tibi causa notior est, eam prius designare uerbis atque informare conabor, ut ea perspecta, cum in contrariam partem flexeris oculos, uerae beatitudinis speciem possis agnoscere.

Ille nunc petit ualidiora remedia.

Ducendus ad ueram felicitatem.

Pr. I, 4 *quantum me*, Vall. *quantum tu me.* 21 *tibi causa notior*, Nonnulli del. *causa.* Stet, ait Eng. (p. 15); est lusus uerborum.

Pr. I, § 3 *degustata mordent, interius dulcescunt. Par.* XVII, 130–132. § 6 *tui causa...quae tibi causa.* Alia exempla huiusmodi lusus uerborum: "constat, aeterna positumque lege est ut constet genitum nihil" (p. 37, uu. 17–18); "non posse potentia non est" (p. 72, u. 10); "omnia solus, uerum possis dicere solem" (p. 142, uu. 13–14). Eng. p. 15.

METRVM I

Imprimis errores eradicandi

Qui serere ingenuum uolet agrum,
liberat arua prius fruticibus,
falce rubos filicemque resecat,
ut noua fruge Ceres grauis eat.
Dulcior est apium mage labor,
si malus ora prius sapor edat.
Gratius astra nitent ubi notus
desinit imbriferos dare sonos.
Lucifer ut tenebras pepulerit,
pulchra dies roseos agit equos.
Tu quoque falsa tuens bona prius
incipe colla iugo retrahere;
uera dehinc animum subierint.

PROSA II

Notio summi boni quod omnes quaerunt etsi frustra

§ 1 Tum defixo paululum uisu et uelut in augustam suae mentis sedem recepta, sic coepit: Omnis mortalium cura quam multiplicium studiorum labor exercet, diuerso quidem calle procedit; sed ad unum tamen beatitudinis 2 finem nititur peruenire. Id autem est bonum quo quis adepto nihil ulterius desiderare queat. Quod quidem est omnium summum bonorum cunctaque intra se bona continens, cui si quid aforet summum esse non posset,

Omnes quaerunt beatitudinem.

M. I, 4 *Ceres grauis*. Ita Nolte, postulante metro. Vall. Ob. Peiper: *grauis Ceres*. Pr. II, 1 *augustam*; alii *angustam* (Pp. n.).

Metrum I phaliscum: 3 dactyli cum pyrrhichio:

– ∪∪ | – ∪∪ | – ∪∪ | ∪⏑

4 *grauis Ceres*. Mart. Cap. I, § 86: "grata Ceres admodum grauis femina alumnaque terrarum ac nutrix mortalium" (Tb. 1866, p. 24). Cfr. Liudprandum (supra, p. 24).

Pr. II, § 1 *diuerso quidem calle sed ad unum finem. Purg.* XXVII, 115–116. Alexander Halensis, *Vniuersae Theologiae Summa*, I, q. XVII, membrum 7 (ed. coloniensis, 1622, tom. I, p. 81).

§ 2 *Id autem est bonum*, etc. *Phileb.* 60 c. Bonum heic = summum bonum seu uerum bonum. Cfr. III, pr. XI, § 3.

quoniam relinqueretur extrinsecus quod posset optari. Liquet igitur esse beatitudinem statum bonorum om-
3 nium congregatione perfectum. Hunc, uti diximus, diuerso tramite mortales omnes conantur adipisci. Est enim mentibus hominum ueri boni naturaliter inserta cupiditas; sed ad falsa deuius error abducit.

Errant de natura summi boni.

4 Quorum quidem alii, summum bonum esse nihilo indigere credentes, ut diuitiis affluant elaborant; alii uero, bonum quod sit dignissimum ueneratione iudicantes, adeptis honoribus reuerendi ciuibus suis esse nituntur. Sunt qui summum bonum in summa potentia esse constituant; hi uel regnare ipsi uolunt, uel regnantibus
5 adhaerere conantur. At quibus optimum quiddam claritas uidetur; hi uel belli uel pacis artibus gloriosum nomen propagare festinant. Plurimi uero boni fructum gaudio laetitiaque metiuntur; hi felicissimum putant
6 uoluptate diffluere. Sunt etiam qui horum fines causasque alterutro permutent; ut qui diuitias ob potentiam uoluptatesque desiderant, uel qui potentiam seu pe-
7 cuniae causa, seu proferendi nominis appetunt. In his igitur ceterisque talibus humanorum actuum uotorumque uersatur intentio, ueluti nobilitas fauorque popu-
laris, quae uidentur quandam claritudinem conparare,
8 uxor ac liberi quae iucunditatis gratia petuntur. Amicorum uero, quod sanctissimum quidem genus est, non in fortuna sed in uirtute numeratur; reliquum uero uel
9 potentiae causa uel delectationis assumitur. Iam uero corporis bona promptum est ut ad superiora referantur. Robur enim magnitudoque uidetur praestare ualentiam,

26 *permutent*, Vall. *permutant*. 32 *quae*, Ob. om. Vall. *qui*. 37 *uidetur*, Ob. *uidentur*.

Definitio beatitudinis. Alexander Halensis, l.c. I, q. III, m. 2, ad 3 (ed. cit. I, 20). Aquinas, *S. Theol.* I, q. XXVI, art. I, ad 1.

§ 4 *regnantibus adhaerere conantur*. (Sen.) *Herc. Oet.* 621–623:

"Cupit hic regi proximus ipsi
clarus latas ire per urbes;
urit miserum gloria pectus."

§§ 4–5 Est catalogus falsorum bonorum quinque quae infra refelluntur, pr. III–VII.

pulchritudo atque uelocitas celebritatem, salubritas uoluptatem; quibus omnibus solam beatitudinem de-
10 siderari liquet. Nam quod quisque prae ceteris petit, 40
id summum esse iudicat bonum. Sed summum bonum beatitudinem esse definiuimus. Quare beatum esse iudicat statum quem prae ceteris quisque desiderat. Habes igitur ante oculos propositam fere formam felicitatis humanae, opes, honores, potentiam, gloriam, 45
11 uoluptatem. Quae quidem sola considerans Epicurus consequenter sibi summum bonum uoluptatem esse constituit; quod cetera omnia iucunditatem animo uideantur afferre.

12 Sed ad hominum studia reuertor, quorum animus, 50 *Summum bonum est cumulus omnium quae quaerunt homines.*
etsi caligante memoria, tamen bonum suum repetit; sed uelut ebrius domum quo tramite reuertatur ignorat.
13 Num enim uidentur errare hi qui nihilo indigere nituntur? Atqui non est aliud quod aeque perficere beatitudinem possit quam copiosus bonorum omnium status, 55
14 nec alieni egens sed sibi ipse sufficiens. Num uero labuntur hi qui quod sit optimum, id etiam reuerentiae cultu dignissimum putent? Minime. Neque enim uile quiddam contemnendumque est quod adipisci omnium
15 fere mortalium laborat intentio. An in bonis non est 60
numeranda potentia? Quid igitur? Num imbecillum ac sine uiribus aestimandum est, quod omnibus rebus
16 constat esse praestantius? An claritudo nihili pendenda est? Sed sequestrari nequit, quin omne quod excellen-
17 tissimum est id etiam uideatur esse clarissimum. Nam 65
non esse anxiam tristemque beatitudinem, nec doloribus molestiisque subiectam, quid attinet dicere, quando in minimis quoque rebus id appetitur quod habere fruique
18 delectet? Atqui haec sunt quae adipisci homines uolunt,

---

46 *uoluptatem*, Ob. *uoluptates*. 51 *suum*, Vall. *summum*. 58 *putent* Eng. (p. 33); Vall. Pp. Ob. *putant*. 64 *sed* Ob. om. 65 *est*, Ob. *sit*.

---

§ 11 *Epicurus*. Vide ep. eius ad Menoeceum, Diog. Laert. x, § 128: *Τὴν τοῦ σώματος ὑγίειαν καὶ τὴν τῆς ψυχῆς ἀταραξίαν, ἐπεὶ τοῦτο τοῦ μακαρίως ζῆν ἐστὶ τέλος.*

eaque de causa diuitias, dignitates, regna, gloriam uoluptatesque desiderant, quod per haec sibi sufficientiam, reuerentiam, potentiam, celebritatem, laetitiam credunt
19 esse uenturam. Bonum est igitur quod tam diuersis studiis homines petunt; in quo quanta sit naturae uis facile monstratur, cum licet uariae dissidentesque sententiae, tamen in diligendo boni fine consentiunt.

METRVM II

Creaturae omnes redeunt ad uiam naturae suae

Quantas rerum flectat habenas
natura potens, quibus inmensum
legibus orbem prouida seruet,
stringatque ligans inresoluto
singula nexu, placet arguto
fidibus lentis promere cantu.
Quamuis poeni pulchra leones
uincula gestent, manibusque datas
captent escas, metuantque trucem
soliti uerbera ferre magistrum,
si cruor horrida tinxerit ora,
resides olim redeunt animi,
fremituque graui meminere sui;
laxant nodis colla solutis
primusque lacer dente cruento
domitor rabidas imbuit iras.
Quae canit altis garrula ramis
ales caueae clauditur antro;
huic licet inlita pocula melle

Metrum II pindaricum: anapaesti dim. acatal. (=I, 5, q.u.).

7 *poeni leones*. Stati *Achill.* I, 858–863 (al. II, 184–189):
"Vt leo, materno cum raptus ab ubere mores
accepit pectique iubas hominemque uereri
edidicit nullasque rapi nisi iussus in iras,
si semel aduerso radiauit lumine ferrum,
eiurata fides domitorque inimicus, in illum
prima fames, timidoque pudet seruisse magistro."

10 Mart. *Epigr.* II, 75, 1: "Verbera securi solitus leo ferre magistri."

17–18 Sen. *Oed.* 460: "Garrula per ramos auis obstrepit."

largasque dapes dulci studio
ludens hominum cura ministret;
si tamen arto saliens texto
nemorum gratas uiderit umbras,
sparsas pedibus proterit escas,
siluas tantum maesta requirit,
siluas dulci uoce susurrat.
Validis quondam uiribus acta
pronum flectit uirga cacumen;
hanc si curuans dextra remisit,
recto spectat uertice caelum.
Cadit hesperias Phoebus in undas;
sed secreto tramite rursus
currum solitos uertit ad ortus.
Repetunt proprios quaeque recursus
redituque suo singula gaudent;
nec manet ulli traditus ordo
nisi quod fini iunxerit ortum,
stabilemque sui fecerit orbem.

PROSA III

Diuitiae non sunt summum bonum

Natura nos ducit ad summum bonum, abducit error.

§ 1 Vos quoque, o terrena animalia, tenui licet imagine uestrum tamen principium somniatis, uerumque illum beatitudinis finem, licet minime perspicaci, qualicumque tamen cogitatione prospicitis, eoque uos et ad uerum bonum naturalis ducit intentio, et ab eodem multiplex
2 error abducit. Considera namque an per ea quibus se homines adepturos beatitudinem putant ad destinatum
3 finem ualeant peruenire. Si enim uel pecuniae uel

Pr. III, 8 *pecuniae*, Vall. *pecunia*.

34 Hor. *Epist.* I, 10, 24. Sen. *Herc. fur.* 1086: "Mens repetat pristina cursum."
Sen. ep. 36 (*ad Lucil.* IV, 7), § 11: "Obserua orbem rerum in se remeantium," etc.
38 Cfr. *Cons. Phil.* IV, m. VI, 44–48.
Lib. III, Pr. III–VI eadem repetunt quae Lib. II, Pr. V–VII. Cfr. p. 42.
Pr. III, § 1 *o terrena animalia. Par.* XIX, 85.
a uero bono multiplex error abducit. M. Aur. VI, 27; XI, 18, § 3; *Par.* VIII, 145–148.

honores ceteraque tale quid afferunt cui nihil bonorum abesse uideatur, nos quoque fateamur fieri aliquos horum adeptione felices. Quod si neque id ualent efficere quod promittunt, bonisque pluribus carent, nonne liquido falsa in eis beatitudinis species deprehenditur?

Diuitias comitatur anxietas

4 Primum igitur te ipsum, qui paulo ante diuitiis affluebas, interrogo: Inter illas abundantissimas opes numquamne animum tuum concepta ex qualibet iniuria 5 confudit anxietas? B. Atqui, inquam, libero me fuisse animo, quin aliquid semper angerer, reminisci non queo. P. Nonne quia uel aberat quod abesse non uelles, uel aderat quod adesse noluisses? B. Ita est, inquam. P. Illius igitur praesentiam huius absentiam desiderabas? 6 B. Confiteor, inquam. P. Eget uero, inquit, eo quod quisque desiderat? B. Eget, inquam. P. Qui uero eget aliquo, non est usquequaque sibi ipse sufficiens? B. Minime, inquam. P. Tu itaque hanc insufficientiam plenus,

Ergo nequeunt conferre felicitatem.

7 inquit, opibus sustinebas? B. Quidni? inquam. P. Opes igitur nihilo indigentem sufficientemque sibi facere nequeunt, et hoc erat quod promittere uidebantur. 8 Atqui hoc quoque maxime considerandum puto, quod nihil habeat suapte natura pecunia, ut his a quibus possidetur inuitis nequeat auferri. B. Fateor, inquam. 9 P. Quidni fateare, cum eam cottidie ualentior aliquis eripiat inuito? Vnde enim forenses querimoniae, nisi quod uel ui uel fraude nolentibus pecuniae repetuntur

Possunt amitti.

ereptae? B. Ita est, inquam. P. Egebit igitur, inquit, extrinsecus petito praesidio, quo suam pecuniam quisque tueatur. B. Quis id, inquam, neget? P. Atqui non egeret eo, nisi possideret pecuniam quam posset amit- 10 tere? B. Dubitari, inquam, nequit. P. In contrarium igitur relapsa res est; nam quae sufficientes sibi facere putabantur opes, alieno potius praesidio faciunt indigentes. Quis autem modus est quo pellatur diuitiis indigentia? Num enim diuites esurire nequeunt, num sitire non possunt, num frigus hibernum pecuniosorum

18 *angerer*, Vall. *angeret*. *non queo*, Vall. *nequeo*.

membra non sentiunt? Sed adest, inquies, opulentis
11 quo famem satient, quo sitim frigusque depellant. Sed hoc modo consolari quidem diuitiis indigentia potest, auferri penitus non potest. Nam si haec hians semper atque aliquid poscens opibus expletur, maneat necesse est quae possit expleri. Taceo quod naturae minimum, quod auaritiae nihil satis est. Quare si opes nec submouere possunt indigentiam, et ipsae suam faciunt, quid est quod eas sufficientiam praestare credatis?

METRVM III

Diuitiae non satisfaciunt uiuis, non solantur mortuos

Quamuis fluente dues auri gurgite
non expleturas cogat auarus opes,
oneretque bacis colla rubri litoris,
ruraque centeno scindat opima boue;
nec cura mordax deseret superstitem,
defunctumque leues non comitantur opes.

PROSA IV

Honor et dignitates non sunt summum bonum

§ 1 Sed dignitates honorabilem reuerendumque cui prouenerint reddunt. Num uis ea est magistratibus, ut utentium mentibus uirtutes inserant, uitia depellant? *Dignitates non prohibent nequitiam.*

---

49 *opibus expletur*, Vall. *opibus non expletur*. M. III, 5 *deseret*, Eng. (p. 33); Vall. Pp. et Ob. *deserit*.

---

§ 11 *naturae minimum, auaritiae nihil satis.* Publilius Syrus: "Inopiae desunt multa (pauca?), auaritiae omnia" (ed. R. Bickford-Smith, Cantabr. 1895, no. 268, p. 17). Sallusti *Bellum Catilinae*, c. XI, § 3. M. Aurelius, VII, 67: ἐν ὀλιγίστοις κεῖται τὸ εὐδαιμόνως βιῶσαι. Cfr. II, 5. Prou. XIII, 7.

Metrum III: iambici trimetri cum pentametris elegiacis:

⏑ – | ∪ – | ⏑ || – | ∪ – | ⏑ – | ∪ ⏓
– ⏑⏑ | – ⏑⏑ | – || – ∪∪ | – ∪∪ | ⏓

3 Hor. *Epod.* 8, 14. Cfr. (Sen.) *Herc. Oet.* 664–665:
"(Non) gestat pelagi dona rubentis,
nec gemmiferas detrahit aures."

4 Sen. *Tro.* 1030–1031:
"Remouete centum
rura qui scindunt opulenta bubus."

2 Atqui non fugare, sed illustrare potius nequitiam solent; quo fit ut indignemur eas saepe nequissimis hominibus contigisse. Vnde Catullus licet in curuli Nonium se-
3 dentem, strumam tamen appellat. Videsne quantum malis dedecus adiciant dignitates? Atqui minus eorum
4 patebit indignitas, si nullis honoribus inclarescant. Tu quoque num tandem tot periculis adduci potuisti, ut cum Decorato gerere magistratum putares, cum in eo mentem nequissimi scurrae delatorisque respiceres?

Non reddunt hominem reuerendum.

5 Non enim possumus ob honores reuerentia dignos iudicare quos ipsis honoribus iudicamus indignos. At si quem sapientia praeditum uideres, num posses eum uel reuerentia, uel ea qua est praeditus sapientia non dignum putare? B. Minime. P. Inest enim dignitas propria uirtuti, quam protinus in eos quibus fuerit
6 adiuncta transfundit. Quod quia populares facere nequeunt honores, liquet eos propriam dignitatis pulchritudinem non habere. In quo illud est animaduertendum magis; nam si eo abiectior est quo magis a pluribus quisque contemnitur, cum reuerendos facere nequeat quos pluribus ostentat, despectiores potius improbos
7 dignitas facit. Verum non inpune; reddunt namque improbi parem dignitatibus uicem, quas sua contagione commaculant.

Dignitas non agnoscitur ab alienigenis.

8 Atque ut agnoscas ueram illam reuerentiam per has umbrabiles dignitates non posse contingere, si qui multiplici consulatu functus in barbaras nationes forte
9 deuenerit, uenerandumne barbaris honor faciet? Atqui si hoc naturale munus dignitatibus foret, ab officio suo

---

Pr. IV, 29 *umbrabiles*, Eng. (p. 36), ἅπ. λεγ.; Ob. *umbratiles*. Pp. *contingere, sic collige*; Eng. delet *sic collige* (p. 12).

Pr. IV, § 2 Catullus, LII, 1–2:

"Quid est, Catulle, quid moraris emori?
sella in curuli Struma Nonius sedet."

Sed Struma est nomen Noni.

§ 4 *Decoratus*, quaestor c. annum 508, ad quem Cassiod. *Var.* V, 31 (P.L. LXIX, 665–666); cfr. V, 3 (ib. 646), et 4 (ib. 647 C). Eum laudat Hodgkin, III, p. 547. Cf. supra, p. xix, n. 3.

§ 6 *despectiores improbos dignitas facit*. Cfr. *Conv.* IV, 7, 87–92; IV, 29, 70–72.

quoquo gentium nullo modo cessarent; sicut ignis ubi-
10 que terrarum numquam tamen calere desistit. Sed
quoniam id eis non propria uis, sed hominum fallax 35
adnectit opinio, uanescunt ilico, cum ad eos uenerint
11 qui dignitates eas esse non aestimant. Sed hoc apud
exteras nationes. Inter eos uero apud quos ortae sunt,
num perpetuo perdurant? Atqui praetura magna olim
potestas, nunc inane nomen et senatorii census grauis 40
sarcina. Si quis populi quondam curasset annonam,
magnus habebatur, nunc ea praefectura quid abiectius?
12 Vt enim paulo ante diximus, quod nihil habet proprii
decoris, opinione utentium nunc splendorem accipit,
13 nunc amittit. Si igitur reuerendos facere nequeunt 45
dignitates, si ultro improborum contagione sordescunt,
si mutatione temporum splendere desinunt, si gentium
aestimatione uilescunt, quid est quod in se expetendae
pulchritudinis habeant, nedum aliis praestent?

Non perdurat inter concies.

METRVM IV

Et Nero contulit dignitates

Quamuis se tyrio superbus ostro
comeret, et niueis lapillis,
inuisus tamen omnibus uigebat
luxuriae Nero saeuientis.
5 Sed quondam dabat improbus uerendis
patribus indecores curules.
Quis illos igitur putet beatos
quos miseri tribuunt honores?

---

39 *praetura*, Sitzm. Vall. Ob. Eng. (p. 42); Pp. *praefectura*.

---

§ 11 *praetura*, aut praefectura annonae, de qua formula, Cass. *Var.* VI, 18 (P.L. LXIX, 698–700).

Metrum IV: Phalaecii cum alternis alcaicis logaoedicis:

– – | – ⏑⏑ | – ‖ ⏑ | – ⏑ | – ⏒
– ⏑⏑ | – ⏑⏑ | – ⏑ | – ⏒

1 Suetonius, VI, 32; (Sen.) *Herc. Oet.* 648: "Caespes tyrio mollior ostro." Cfr. *Thy.* 959.
2 Hor. *Sat.* I, 2, 80: "inter niueos uiridesque lapillos." Sen. *Phaedr.* 399: "niueus lapis."
4 Suetonius, VI, 26.

PROSA V

Regna et potentia non reddunt hominem beatum

Non permanet fauor regum.

§ 1 An uero regna, regumque familiaritas efficere potentem ualet? Quidni, quando eorum felicitas perpetuo perdurat? Atqui plena est exemplorum uetustas, plena etiam praesens aetas, qui reges felicitatem calamitate mutauerint. O praeclara potentia, quae nec ad conser-

Potestas regum circumscribitur.

2 uationem quidem sui satis efficax inuenitur. Quod si haec regnorum potestas beatitudinis auctor est, nonne, si qua parte defuerit, felicitatem minuat, miseriam inportet? Sed quamuis late humana tendantur imperia, plures necesse est gentes relinqui, quibus non imperet regum quisque. Qua uero parte beatos faciens desinit potestas, hac inpotentia subintrat quae miseros facit; hoc igitur modo maiorem regibus inesse necesse est

Pericula timenda regibus.

3 miseriae portionem. Expertus sortis suae periculorum tyrannus regni metus pendentis supra uerticem gladii terrore simulauit. Quae est igitur haec potestas, quae sollicitudinum morsus expellere, quae formidinum acu-

4 leos uitare nequit? Atqui uellent ipsi uixisse securi, sed nequeunt; dehinc de potestate gloriantur. An tu potentem censes quem uideas uelle quod non possit efficere?

Pr. V, 5 *nec*, Ob. *ne*.

Pr. V, § 3 *metus pendentis gladii*. Dionysius tyrannus syracusanus (405–367 ante Xt.) dicitur ad cenam inuitasse adulatorem Damoclen et supra caput eius saeta equina gladium suspendisse, ut ostendat quam incerta felicitas potentum. Cic. *Tusc. Disp.* v, c. 21, §§ 61–62; Hor. *Carm.* III, 1, 17–19; Macrob. *in Somn. Scip.* I, c. X, § 16.

§ 4 *quos terret ipse plus metuit*. Epict. *Diatr.* IV, c. 1, § 51: ὅταν οὖν μήτε οἱ βασιλεῖς λεγόμενοι ζῶσιν ὡς θέλουσι μήθ' οἱ φίλοι τῶν βασιλέων, τίνες ἔτι εἰσὶν ἐλεύθεροι; (Tb. p. 363). Decimus Laberius: "Necesse est multos timeat quem multi timent" (citat Seneca *de Ira*, II, c. XI, § 3; cfr. O. Ribbeck, *Scaenicae Rom. Poesis fragm.* Tb. 1898, II, p. 361). Cic. *de offic.* II, c. 7, § 24: "Etenim qui se metui uolent, a quibus metuentur eosdem metuant ipsi necesse est." Cfr. Ennium citatum ib. II, c. 7, § 23. Brun. Lat. *Tresor*, L. II, p. II, c. 101: "Boeces dit: Ne cuide mie que cil soit puissanz qui tozjors a maint garde avec lui: car il doute cels à cui il fait paor" (ed. Chabaille, p. 449).

Potentem censes qui satellite latus ambit, qui quos terret ipse plus metuit, qui ut potens esse uideatur in seruientium manu situm est?

Familiaritas regum inconstans.

5 Nam quid ego de regum familiaribus disseram, cum regna ipsa tantae inbecillitatis plena demonstrem? Quos quidem regia potestas saepe incolumis, saepe autem 6 lapsa prosternit. Nero Senecam familiarem praeceptoremque suum ad eligendae mortis coegit arbitrium. Papinianum diu inter aulicos potentem militum gladiis 7 Antoninus obiecit. Atqui uterque potentiae suae renuntiare uoluerunt, quorum Seneca opes etiam suas tradere Neroni, seque in otium conferre conatus est; sed dum ruituros moles ipsa trahit, neuter quod uoluit 8 effecit. Quae est igitur ista potentia quam pertimescunt habentes, quam ne cum habere uelis tutus sis, et cum 9 deponere cupias uitare non possis? An praesidio sunt amici, quos non uirtus sed fortuna conciliat? Sed quem felicitas amicum fecit, infortunium faciet inimicum. Quae uero pestis efficacior ad nocendum quam familiaris inimicus?

Summum malum falsi amici.

METRVM V

Maximus rex impotens cum non dominetur curis

Qui se uolet esse potentem
animos domet ille feroces,
nec uicta libidine colla
foedis submittat habenis.

§ 6 *Nero iussit Senecam mori.* a.D. 65. Taciti *Ann.* XIV, 53; XV, 60–64.
Aemilius Papinianus celeber iurisconsultus romanus cui Septimius Seuerus Imp. (a.D. 193–211) commisit curam filiorum Antonini Bassiani Caracallae et Getae. Mox Caracalla factus Imp. (211–217) iussit occidi Papinianum utpote fratris fautorem (Spartiani *Vitae Ant. Caracalli*, §§ 4, 8 (Tb. *Script. Hist. Aug.* Tb. 1884, tom. I, pp. 184, 187). S. Aurelius Victor *de Caesaribus*, XX, 33 (Tb. 1911, p. 101).

§ 7 *Seneca opes tradidit Neroni.* Taciti *Ann.* XIV, 54; Sueton. VI, 35.

§ 9 *Quae uero pestis...* citat Seruatus Lupus, ep. 93 (P.L. CXIX, 568 B).

Metrum V anapaest. dim. catal.

⏑⏑ – | ⏑⏑ – | ⏑⏑ – | ⏑ (=II, 5).

2–4 Prou. XVI, 32.

Etenim licet indica longe
tellus tua iura tremescat
et seruiat ultima Thule;
tamen atras pellere curas
miserasque fugare querelas
non posse potentia non est.

PROSA VI

Gloria non est summum bonum

Fallax gloria turpis.

§ 1 Gloria uero quam fallax saepe, quam turpis est. Vnde non iniuria tragicus exclamat:

ὦ δόξα δόξα, μυρίοισι δὴ βροτῶν
οὐδὲν γεγῶσι βίοτον ὤγκωσας μέγαν.

2 Plures enim magnum saepe nomen falsis uulgi opinionibus abstulerunt; quo quid turpius excogitari potest? Nam qui falso praedicantur, suis ipsi necesse est laudibus erubescant.

Nec iusta gloria quidquam addit sapienti.

3 Quae si etiam meritis conquisitae sint, quid tamen sapientis adiecerint conscientiae, qui bonum suum non populari rumore sed conscientiae ueritate metitur?

4 Quod si hoc ipsum propagasse nomen pulchrum uidetur, consequens est ut foedum non extendisse iudicetur. Sed cum, uti paulo ante disserui, plures esse gentes necesse sit ad quas unius fama hominis nequeat peruenire, fit ut quem tu aestimas esse gloriosum,

M. V, 7 Ob. *Thule*; Pp. *Thyle*. Pr. VI, 16 *esse*, Vall. om.

5 Claudiani *Panegyr. de quarto consulatu Honori*, 257–262:
"Tu licet extremos late dominere per Indos,
te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent:
si metuis, si praua cupis, si duceris ira,
seruitii patiere iugum; tolerabis iniquas
interius leges. Tunc omnia iure tenebis
cum poteris rex esse tui."

7 Verg. *Georg.* I, 30: "Tibi seruiat ultima Thule." Sen. *Med.* 382: "Nec sit terris ultima Thule." Thule, non Thyle; Θουλή.

Pr. VI, § 1 *Gloria fallax.* M. Aurelius, IV, 20; VI, 16; IX, 34. ὦ δόξα δόξα, κ.τ.λ. "o fama, fama, milibus mortalium nihil dignis uitam cumulasti magnam." Eurip. *Androm.* 319–320.

§ 2 *qui falso praedicantur*, etc. Cass. *Var.* VIII, 18: "Cum omnis appellatio ad declarandas res uideatur imposita, nimis absurdum est portare nomen alienum et aliud dici quam possit in moribus inueniri."

Fauor plebis nil ualet.

pro maxima parte terrarum uideatur inglorius. Inter haec uero popularem gratiam ne commemoratione quidem dignam puto, quae nec iudicio prouenit, nec umquam firma perdurat. Iam uero quam sit inane, quam futtile nobilitatis nomen, quis non uideat, quae si ad claritudinem refertur aliena est? Videtur namque esse nobilitas quaedam de meritis ueniens laus parentum. Quod si claritudinem praedicatio facit, illi sint clari necesse est qui praedicantur. Quare splendidum te, si tuam non habes, aliena claritudo non efficit. Quod si quid est in nobilitate bonum, id esse arbitror solum, ut inposita nobilibus necessitudo uideatur, ne a maiorum uirtute degeneret.

METRVM VI

Deus omnium pater, omnis iustus est generosus

Omne hominum genus in terris simili surgit ab ortu;
unus enim rerum pater est, unus cuncta ministrat.
Ille dedit Phoebo radios, dedit et cornua lunae,
ille homines etiam terris dedit ut sidera caelo;
hic clausit membris animos celsa sede petitos. [10]
Mortales igitur cunctos edit nobile germen.

---

17 *pro maxima*, Vall. Ob. (n.), Eng. (p. 43); Pp. *proxima*.
29 *degeneret*, Ob. *degenerent*.

---

§ 5 *populares gratia indigna*. Citat Dantes, *Conv.* I, 11, 56–58.
§ 7 *Noblesse oblige*. Cfr. *Conv.* IV, 7, 87–92; IV, 29, 70–72.
Metrum VI: trimeter dactylicus hypercatal. cum pherecratio (proprium Boethio):

– ∪∪ | – ∪∪ | – – | ⏑̲
⏑̲ – | – ∪∪ | – ⏑̲

Imitatur Liudprandus, *Antap.* V, 11:
"Improbe mons Auium, tali
neque tu nomine dignus," etc. (M.G.H. V, 330).
2 Pindari *Nemea*, VI, 1–3:
ἓν ἀνδρῶν
ἓν θεῶν γένος· ἐκ μιᾶς δὲ πνέομεν
ματρὸς ἀμφότεροι. Cit. Eus. *Praep. Eu.* XIII, 13.
(Sen.) *Herc. Oet.* 1591: "Te pater rerum miseri precamur."
Mal. II, 10.

Quid genus et proauos strepitis? Si primordia uestra
auctoremque deum spectes, nullus degener exstat,
ni uitiis peiora fouens proprium deserat ortum.

PROSA VII

Voluptas non summum bonum

Pessimi effectus uoluptatis.

§ 1 Quid autem de corporis uoluptatibus loquar, quarum
appetentia quidem plena est anxietatis, satietas uero
2 poenitentiae? Quantos illae morbos, quam intolerabiles
dolores, quasi quendam fructum nequitiae fruentium
solent referre corporibus. Quarum motus quid habeat
iucunditatis ignoro. Tristes uero esse uoluptatum exitus,
quisquis reminisci libidinum suarum uolet, intelleget.

Pecus hac delectatur.

3 Quae si beatos explicare possunt, nihil causae est quin
pecudes quoque beatae esse dicantur, quarum omnis ad
4 explendam corporalem lacunam festinat intentio. Ho-
nestissima quidem coniugis foret liberorumque iucun-
ditas; sed nimis e natura dictum est nescio quem filios
inuenisse tortores; quorum quam sit mordax quaecum-
que condicio, neque alias expertum te, neque nunc
5 anxium necesse est admonere. In quo Euripidis mei
sententiam probo, qui carentem liberis infortunio dixit
esse felicem.

M. VI, 7 *strepitis*, sc. iactatis. Cfr. II, pr. V, 61: "fortunae strepitu." Sen. *Herc. fur.* 344–345: "Qui genus iactat suum | aliena laudat." Pr. VII, 11 *foret*, Nolte (p. 90) suggerit *forte*.

Pr. VII, § 2 *quantos morbos uoluptates referunt.* Ita Cic. *Hortensi* fragm. 81 (Tb. 1879, Part. IV, uol. III, p. 322).

fructum nequitiae. M. Aur. IX, 1: *ὁ τὰς ἡδονὰς ὡς ἀγαθὰ διώκων ... ἀσεβεῖ.*

§ 4 *filios inuenisse tortores.* Arist. *Eth. Nicom.* VIII, c. 7: *ὁ δὲ θυμὸς φυσικώτερον καὶ ἡ χαλεπότης τῶν ἐπιθυμιῶν τῶν τῆς ὑπερβολῆς καὶ τῶν μὴ ἀναγκαίων, ὥσπερ ὁ ἀπολογούμενος ὅτι τὸν πατέρα τύπτοι. "καὶ γὰρ οὗτος" ἔφη "τὸν ἑαυτοῦ κἀκεῖνος τὸν ἄνωθεν," καὶ τὸ παιδίον δείξας "καὶ οὗτος ἐμέ" ἔφη, "ὅταν ἀνὴρ γένηται· συγγενὲς γὰρ ἡμῖν"* (Bekker II, p. 1149, col. 2, 6–11). Plutarchus *de amore prolis* (*περὶ τῆς εἰς τὰ ἔκγονα φιλοστοργίας*) citat uersum Eueni: *ἢ δέος ἢ λύπη παῖς πατρὶ πάντα χρόνον* (Tb. Plut. *Moralia*, 1891, III, p. 288).

§ 5 *Euripidis sententiam. Androm.* 418–420:

πᾶσι δ' ἀνθρώποις ἆρ' ἦν
ψυχὴ τέκν'· ὅστις δ' αὖτ' ἄπειρος ὢν ψέγει,
ἧσσον μὲν ἀλγεῖ, δυστυχὼν δ' εὐδαιμονεῖ.

METRVM VII

Voluptas pungit sequaces

Habet omnis hoc uoluptas,
stimulis agit fruentes
apiumque par uolantum
ubi grata mella fudit,
fugit et nimis tenaci
ferit icta corda morsu.

PROSA VIII

Illa ergo omnia deficiunt a summo bono

Viae deuiae ad beatitudinem.

§ 1 Nihil igitur dubium est quin hae ad beatitudinem uiae deuia quaedam sint, nec perducere quemquam eo ua- 2 leant ad quod se perducturas esse promittunt. Quantis uero implicitae malis sint, breuissime monstrabo. Quid enim? Pecuniamne congregare conaris? Sed eripies habenti. Dignitatibus fulgere uelis? Danti supplicabis, et qui praeire ceteros honore cupis, poscendi humilitate 3 uilesces. Potentiamne desideras? Subiectorum insidiis obnoxius periculis subiacebis. Gloriam petas? Sed per aspera quaeque distractus securus esse desistis. Voluptariam uitam degas? Sed quis non spernat atque abiciat uilissimae fragilissimaeque rei corporis seruum? 4 Iam uero qui bona prae se corporis ferunt, quam exigua,

---

Pr. VIII, 2 *deuia*, Ob. *deuiae*. 5 *conaris*, sic Eng. (p. 31); Pp. *conabaris*; Ob. *conaberis*. 9 *petas*, Vall. *petis*.

Metrum VII anacreontium:

⏑⏑ – | ⏑ – | ⏑ – | ⏑

Pr. VIII. Boethius summatim quae de his dixit heic comprehendit. Hoc loco praesertim subsequi uidetur Plutarchum. Tamen nollem asserere eum Plutarchum citare, cum multi philosophi eadem habeant. Vid. Pseud.-Plut. *De educ. puer.* c. 8.

§ 4 (Cfr. § 6.) Ouidi *Ars am.* 113–114:

"forma bonum fragilest, quantumque accedit ad annos,
fit minor et spatio carpitur ipsa suo."

Sen. *Phaedr.* 769–771:

"Anceps forma bonum mortalibus,
exigui donum breue temporis,
ut uelox celeri pede laberis."

quam fragili possessione nituntur. Num enim elephantos mole, tauros robore superare poteritis, num tigres uelocitate praeibitis? Respicite caeli spatium, firmitudinem, celeritatem, et aliquando desinite uilia mirari. Quod quidem caelum non his potius est quam sua qua regitur ratione mirandum. Formae uero nitor ut rapidus est, ut uelox et uernalium florum mutabilitate fugacior. Quod si, ut Aristoteles ait, Lyncei oculis homines uterentur, ut eorum uisus obstantia penetraret, nonne introspectis uisceribus illud Alcibiadis superficie pulcherrimum corpus turpissimum uideretur? Igitur te pulchrum uideri non tua natura, sed oculorum spectantium reddit infirmitas. Sed aestimate quam uultis nimio cor-

Ne miremur uilia.

Pulchritudo nonnisi superficialis.

Breui morbo destruitur.

21 *Lyncei*, Ob. *lynceis*.

Ib. 781–782:

"Res est forma fugax: quis sapiens bono
confidit fragili?"

Brun. Lat. *Tresor*, L. II, p. II, c. 96: "De cui dit Boeces: Nous ne sormontons pas les olifans par granz cors, ne les toriaus par force, ne les tigres par isneleté" (ed. Chabaille, p. 440).

§ 5 *Respicite caeli spatium*, etc. Ad hoc reuocat Dantes, *Purg.* XIV, 148–150; *Par.* X, 7–12.

§ 6 *formae nitor rapidus*. Cfr. Is. XL, 6; Eccli. XIV, 8.

Aristoteles. Locus non inuenitur in opp. Stagiritae; quare sunt qui putant legendum "Aristophanem," sc. *Plut.* 210: βλέποντ' ἀποδείξω σ' ὀξύτερον τοῦ Λυγκέως. Verum uidetur citare locum *Protrept.* ap. Val. Rose, no. 59 (uti infra ad § 7).

Lynceus. An uir Lynceus, uel bestia lynx ("oculis lynceis")? Maior pars commentatorum pro Lynceo filio Apharei, Argonauta praedito uisu acutissimo, cuius perspicacitas in prouerbium increbruit. Apolloni Rhodi *Argonauticorum* I, 153–154: Λυγκεὺς δὲ καὶ ὀξυτάτοις ἐκέκαστο | ὄμμασιν. Cfr. ib. IV, 1477–1480. Hor. *Sat.* I, 2, 90–91; *Ep.* I, 1, 28; Cic. *ad fam.* lib. IX, ep. 2, § 2; Sen. *de Benef.* IV, c. 27, § 3; Plotini *Ennead.* V, lib. VIII, 4. Apulei *Metam.* II, 23.

Alcibiades atheniensis, filius Cliniae, c. 450–404 ante Xtum, de quo Thucydides, V, 43, 52; VIII, 11–17, etc. Plutarchi *Vita Alcibiadis* (Tb. ed. C. Sintenis, 1879, I, 376–418). De eius formoso corpore cfr. Plat. *Alcibiad.* c. XXVI (131 C), *Conuiu.* XXXIII (216 D), *Protag.* I (309 A), VII (316 A).

§ 7 *te pulchrum uideri oculorum reddit infirmitas*. Aristot. *Protrept.* Κάλλος γε παρὰ τὸ μηδὲν ὁρᾶν ἀκριβὲς δοκεῖ εἶναι τοιοῦτον. εἰ γάρ τις ἐδύνατο βλέπειν καθάπερ τὸν Λυγκέα φασίν, ὃς διὰ τῶν τοίχων ἑώρα καὶ τῶν δένδρων, πότ' ἂν ἔδοξεν εἶναί τινα τὴν ὄψιν ἀνεκτὸν ὁρᾶν ἐξ οἵων συνέστηκε κακῶν; (ed. V. Rose,

poris bona, dum sciatis hoc quodcumque miramini
8 triduanae febris igniculo posse dissolui. Ex quibus
omnibus illud redigere in summam licet, quod haec
quae nec praestare quae pollicentur bona possunt, nec
omnium bonorum congregatione perfecta sunt, ea nec
ad beatitudinem quasi quidem calles ferunt, nec beatos
ipsa perficiunt.

METRVM VIII

Felicitas quaerenda desuper in propria sede

Eheu quae miseros tramite deuios
abducit ignorantia.
Non aurum in uiridi quaeritis arbore
nec uite gemmas carpitis,
non altis laqueos montibus abditis
ut pisce ditetis dapes,
nec uobis capreas si libeat sequi,
tyrrhena captatis uada.
Ipsos quin etiam fluctibus abditos
norunt recessus aequoris,
quae gemmis niueis unda feracior
uel quae rubentis purpurae,
nec non quae tenero pisce uel asperis
praestent echinis litora.
Sed quonam lateat quod cupiunt bonum,
nescire caeci sustinent,
et quod stelliferum trans abiit polum,

M. VIII, 1 *deuios*, Ob. *deuio*.

Tb. 1886, fragm. 59, p. 70). Cfr. Ingram Bywater, "On a lost Dialogue of Aristotle" (*Journal of Philology*, Lond. et Cambr. Macmillan, vol. II, 1869, pp. 55–69), et locum e *Protreptico* Iamblichi cit. ibi, p. 59.

Metrum VIII: asclepiadei minores (ut Hor. *Carm.* I, 1, etc.) cum alternis iamb. dimet.:

– – | – ⏑⏑ | – || – ⏑⏑ | – ⏑⏒
⏒ – | ⏑ – | ⏒ – | ⏑⏓

1–2 Citat Hincmarus rhemensis, *de Praedest.* dissert. poster. c. 27 (P.L. CXXV, 276 B).
7–14 Cfr. Hor. *Sat.* II, 4.
11–12 Cfr. supra III, m. IV, 1–2 (p. 69).
17 Sen. *Phaedr.* 793: "stellifero despiciens polo."

tellure demersi petunt.
Quid dignum stolidis mentibus inprecer?
Opes, honores ambiant,
et cum falsa graui mole parauerint,
tum uera cognoscant bona.

PROSA IX

Summum bonum omnia bona continet

Cur nullum bonum particulare est summum?

§ 1 Hactenus mendacis formam felicitatis ostendisse sufficerit, quam si perspicaciter intueris, ordo est deinceps
2 quae sit uera monstrare. B. Atqui uideo, inquam, nec opibus sufficientiam, nec regnis potentiam, nec reuerentiam dignitatibus, nec celebritatem gloria, nec laetitiam
3 uoluptatibus posse contingere. P. An etiam causas, cur id ita sit, deprehendisti? B. Tenui quidem ueluti rimula mihi uideor intueri; sed ex te apertius cognoscere malim.

Error hominum diuidit simplex bonum summum.

4 P. Atqui promptissima ratio est. Quod enim simplex est indiuisumque natura, id error humanus separat, et a uero atque perfecto ad falsum imperfectumque traducit. An tu arbitraris quod nihilo indigeat egere po-
5 tentia? B. Minime, inquam. P. Recte tu quidem; nam si quid est quod in ulla re inbecillioris ualentiae sit, in hac praesidio necesse est egeat alieno. B. Ita est, in-
6 quam. P. Igitur sufficientiae potentiaeque una est eademque natura. B. Sic uidetur. P. Quod uero huiusmodi sit, spernendumne esse censes, an contra rerum omnium ueneratione dignissimum? B. At hoc, inquam,
7 ne dubitari quidem potest. P. Addamus igitur sufficientiae potentiaeque reuerentiam, ut haec tria unum esse iudicemus. B. Addamus, si quidem uera uolumus confiteri. P. Quid uero, inquit, obscurumne hoc atque ignobile censes esse, an omni celebritate clarissimum?
8 Considera uero, ne quod nihilo indigere, quod potentissimum, quod honore dignissimum esse concessum est, egere claritudine, quam sibi praestare non possit, atque ob id aliqua ex parte uideatur abiectius. B. Non possum,

Pr. IX, § 1 *mendacis forma felicitatis* (cfr. ll. 69 et 89). Alludit Dantes, *Purg.* xxx, 131–132 (cfr. Murari, p. 260).

inquam, quin hoc uti est, ita etiam celeberrimum esse
9 confitear. P. Consequens igitur est ut claritudinem
superioribus tribus nihil differre fateamur. B. Conse-
10 quitur, inquam. P. Quod igitur nullius egeat alieni,
quod suis cuncta uiribus possit, quod sit clarum atque
reuerendum, nonne hoc etiam constat esse laetissimum?
11 B. Sed unde huic, inquam, tali maeror ullus obrepat, ne
cogitare quidem possum; quare plenum esse laetitiae, si
12 quidem superiora manebunt, necesse est confiteri. P. At-
qui illud quoque per eadem necessarium est sufficientiae,
potentiae, claritudinis, reuerentiae, iucunditatis nomina
quidem esse diuersa, nullo modo uero discrepare sub-
13 stantiam. B. Necesse est, inquam. P. Hoc igitur quod
est unum simplexque natura, prauitas humana dispertit,
et dum rei quae partibus caret partem conatur adipisci,
nec portionem quae nulla est, nec ipsam quam minime
14 affectat assequitur. B. Quonam, inquam, modo? P. Qui
diuitias, inquit, petit penuriae fuga, de potentia nihil
laborat, uilis obscurusque esse mauult, multas etiam sibi
naturales quoque subtrahit uoluptates, ne pecuniam
quam parauit amittat. Sed hoc modo ne sufficientia
quidem contingit ei quem ualentia deserit, quem molestia
pungit, quem uilitas abicit, quem recondit obscuritas.
15 Qui uero solum posse desiderat, profligat opes, despicit
uoluptates, honoremque potentia carentem, gloriam
quoque nihili pendit. Sed hunc quoque quam multa
deficiant uides. Fit enim ut aliquando necessariis egeat,
ut anxietatibus mordeatur, cumque haec depellere ne-
queat, etiam id quod maxime petebat, potens esse
16 desistat. Similiter ratiocinari de honoribus, gloria,
uoluptatibus licet. Nam cum unumquodque horum
idem quod cetera sit, quisquis horum aliquid sine ceteris
petit, ne illud quidem quod desiderat apprehendit.
17 B. Quid igitur? inquam. P. Si qui cuncta simul cupiat
adipisci, summam quidem ille beatitudinis uelit; sed
num in his eam reperiet, quae demonstrauimus id quod
pollicentur non posse conferre? B. Minime, inquam.

Sic omne bonum amittit.

62 *si qui*, Vall. *si quis*.

18 P. In his igitur quae singula quaedam expetendorum praestare creduntur, beatitudo nullo modo uestiganda est. B. Fateor, inquam, et hoc nihil dici uerius potest.

In uera felicitate omnia bona insunt.

19 P. Habes igitur, inquit, et formam falsae felicitatis et causas; deflecte nunc in aduersum mentis intuitum; ibi enim ueram quam promisimus statim uidebis. B. Atqui haec, inquam, uel caeco perspicua est, eamque tu paulo 20 ante monstrasti dum falsae causas aperire conaris. Nam, nisi fallor, ea uera est et perfecta felicitas quae sufficientem, potentem, reuerendum, celebrem laetumque perficiat. Atque ut me interius animaduertisse cognoscas, quae unum horum, quoniam idem cuncta sunt, ueraciter praestare potest, hanc esse plenam beatitudinem sine ambiguitate cognosco.

Vbi ergo uerum bonum quaerendum?

21 P. O te alumne hac opinione felicem, si quidem hoc, 22 inquit, adieceris. B. Quidnam? inquam. P. Essene aliquid in his mortalibus caducisque rebus putas, quod huiusmodi statum possit afferre? B. Minime, inquam, puto, idque a te, nihil ut amplius desideretur, ostensum 23 est. P. Haec igitur uel imagines ueri boni uel inperfecta quaedam bona dare mortalibus uidentur; uerum autem atque perfectum bonum conferre non possunt. B. As- 24 sentior, inquam. P. Quoniam igitur agnouisti quae uera illa sit, quae autem beatitudinem mentiantur, nunc superest ut unde ueram hanc petere possis agnoscas. B. Id quidem, inquam, iam dudum uehementer ex- 25 specto. P. Sed cum, ut in Timaeo Platoni, inquit, nostro placet, in minimis quoque rebus diuinum praesidium debeat implorari, quid nunc faciendum censes, ut illius summi boni sedem reperire mereamur? B. Inuocandum, inquam, rerum omnium patrem, quo praetermisso, nullum rite fundatur exordium. P. Recte, inquit, ac simul ita modulata est.

---

73 *conaris*, Vall. *conabaris*.

§ 25 *in Timaeo*, 27 B–C. Cfr. Pythag. *Aur. Carm.* 48–49: Ἀλλ' ἔρχευ ἐπ' ἔργον | θεοῖσιν ἐπευξάμενος τελέσαι. Hieroclis *comm. in aur. carm.* (Mullach, *Fragm. Phil. Gr.* I, 466–467); Proclus *in Platonis theol.* I, c. 2 (ed. Aem. Portus, Hamburgi, 1618, p. 4).

METRVM IX

Oratio ad deum ut mentem illuminet

O qui perpetua mundum ratione gubernas
terrarum caelique sator, qui tempus ab aeuo
ire iubes, stabilisque manens das cuncta moueri,
quem non externae pepulerunt fingere causae

Metrum IX hexametrum heroum.

Metrum hoc IX forte celeberrimum totius operis innititur totum Timaeo Platonis unde omnia quae hic desumpsit Boethius. Nitzsch iure dicit hoc excerptum e Timaeo uersibus redditum (ein ganzer Abschnitt des Timäus versificirt), p. 49. Vide *Tim.* praesertim 28 A–37 C. Cfr. et poema Mart. Capellae, lib. II, "Ignoti uis celsa patris" (Tb. 1866, p. 48); et epigramma Eucleri comitis (saec. VI):

"O pater omnipotens celsi dominator Olympi,
o terrae pelagique sator, qui sedibus olim
missus ab aethereis humano corpore nasci
non indignatus, caedis cruciatibus atrae
mortales auidi rapuisti e faucibus Orci,
dirige uela precor; curuo diducere rectum
densaque romulei dignoscere iura senatus
ingenio permitte meo. Qua luce reperta
fas mihi sit populis reserata resoluere iura
atque inter nebulas legum dignoscere causas."

F. Buecheler et Alex. Riese, *Anthologia Latina* (in serie teubneriana, 1906), Partis I, fasc. II, num. 789 (p. 268). Cfr. et R. Murari, pp. 330–363.

Bruno monachus corbeiensis saec. X commentatus est hoc metrum IX. Cfr. infra, p. 179.

1 *perpetua ratione.* Ita Plato saepissime. *Phil.* XVI (28 E) *νοῦν πάντα διακοσμεῖν*, *Gorg.* LXIII (508 A), *Polit.* XVI (273 D), *Leg.* 896 E–898 D, *Tim.* 29 A, 30 B, 34 B.

gubernas. Plat. *Leg.* 709 B: *θεὸς μὲν πάντα...διακυβερνᾷ.*

2 *sator.* Cfr. *Aen.* I, 254.

tempus ab aeuo. Tim. 37 D–E. Cfr. Tiberiani carm. IV, 10–11 (E. Bährens, *Poetae lat. min.* Tb. 1881, III, p. 267). Locum citat, exponit Alb. Magn. *Phys.* IV, tract. IV, c. 4 (ed. Borgnet, tom. III, p. 349).

3 *stabilisque manens. Tim.* 38 A. Aristot. *Phys.* VIII, 5, ubi laudat Anaxagoram qui dicit Deum immobilem: *οὕτω γὰρ ἂν μόνως κινοίη ἀκίνητος ὢν καὶ κρατοίη ἀμιγὴς ὤν* (Bekker, I, p. 256, col. 2, ll. 24–27). Dionysius *de diuin. nom.* IX, 8 (P.G. III, 916 B). Aug. *Conf.* I, c. 6, § 9: "apud te rerum omnium instabilium stant causae," etc. Cfr. *Par.* XXIV, 130–132.

2–3 Alexander Halensis, I, 9. XII, membr. IX, art. I, 4 (ed. cit. I, pp. 45, 50).

4 *non externae pepulerunt causae. Tim.* 30 A. S. Thom. Aq. *c. Gentes*, II, 46: "Ad productionem creaturarum nihil aliud

materiae fluitantis opus, uerum insita summi
forma boni liuore carens, tu cuncta superno
ducis ab exemplo; pulchrum pulcherrimus ipse
mundum mente gerens, similique in imagine formans,
perfectasque iubens perfectum absoluere partes.
Tu numeris elementa ligas, ut frigora flammis
arida conueniant liquidis, ne purior ignis
euolet, aut mersas deducant pondera terras.

mouet Deum nisi sua bonitas." Cfr. I, 74–77; III, 97; *Sum. theol.* I, q. XIX, a. 5. *Par.* XXIX, 13–15:

"Non per aver a sè di bene acquisto,
ch' esser non può, ma perchè suo splendore
potesse risplendendo dir: subsisto."

5 *materia fluitans. Tim.* 30 A: Οὕτω δὴ πᾶν ὅσον ἦν ὁρατὸν παραλαβὼν οὐχ ἡσυχίαν ἄγον, ἀλλὰ κινούμενον πλημμελῶς καὶ ἀτάκτως, εἰς τάξιν αὐτὸ ἤγαγεν ἐκ τῆς ἀταξίας. Diog. Laert. lib. III (*Plato*), 41 (§ 69): Ἀτάκτως δὲ αὐτὴν (sc. materiam) κινουμένην ποτὲ ὑπὸ τοῦ θεοῦ φησιν (Plato) εἰς ἕνα συναχθῆναι τόπον, τάξιν ἀταξίας κρείττονα ἡγησαμένου (ed. Didot, 1878, p. 84).

6 *liuore carens. Tim.* 29 E: Ἀγαθὸς ἦν, ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίγνεται φθόνος· τούτου δ' ἐκτὸς ὢν πάντα ὅτι μάλιστα γενέσθαι ἐβουλήθη παραπλήσια ἑαυτῷ.
Par. VII, 64–65: "La divina bontà che da sè sperne | ogni livore."

6–7 *superno ab exemplo.* Citat Dantes, *Conv.* III, c. 2, 146–148.

7 *pulchrum pulcherrimus ipse. Tim.* 37 A: ὑπὸ τοῦ ἀρίστου ἀρίστη γενομένη. Cfr. 29 A; 30 D; Diog. Laert. III, 41 (§ 72).

7–8 citat Aquinas, *Comm. in lib.* II *Sentent.* in prologo (ed. L. Vives, Parisiis, 1873, tom. VIII, p. 2).

8 *mente gerens. Tim.* 28 C; *Polit.* 269 C–D, et passim ubi Plato de ideis archetypis. Cfr. *Par.* II, 130–132.
similique in imagine. Hierocles *in aur. carm.* I: Ἀγαθὸς δὴ ὢν τὴν οὐσίαν ὁ θεὸς τὰ μάλιστα ὡμοιωμένα αὐτῷ πρῶτα φύσει προήγαγε (Mullach, op. cit. I, 420).

10 *numeris elementa ligas...* usq. 13. Cfr. *Cons. Phil.* II, m. VIII, 1–21; IV, m. VI, 19–24. *Tim.* 31 C–32 A; 32 C; 35 B–C; Diog. Laert. III, 41 (§ 70).
Claudianus *de Raptu Proserp.* I, 248–253:

"Hic elementorum seriem sedesque paternas
insignibat acu; ueterem qua lege tumultum
discreuit Natura parens et semina iustis
discessere locis: quidquid leue, fertur in altum;
in medium grauiora cadunt; incanduit aer;
legit flamma polum; fluxit mare; terra pependit"
(ed. I. Koch, Tb. p. 269).

Macrobius *in Somn. Scip.* II, c. 2, § 1 (Tb. p. 587).
M. Capella, I, 7: "Namque elementa ligas uicibus" (Tb. 1866, p. 1); I, 23 G. 31: "Quaeque elementa liget dissona nexio" (ib. p. 25). Apulei *Lib. de mundo* (Tb. 1908, III), XXI (pp. 157–158), XXIV (p. 160).

Tu triplicis mediam naturae cuncta mouentem
conectens animam per consona membra resoluis.

13 *Tu triplicis mediam naturae conectens animam.* "Ventum est ad partem suscepti operis difficillimam, in qua explananda tot frustra sudarunt uiri eruditi" (Vallinus ad loc.). Nimirum, sec. Platonem sunt imprimis primariae species, sc. ideae archetypae. Est et materia olim rudis, informis, bruta. Huic materiae dedit Deus animam, qua informatur, ordinatur, uiuit. *Tim.* 30 B: *τόνδε τὸν κόσμον ζῷον ἔμψυχον ἔννουν*, 37 D. Porro, ut exactius uniuersum respondeat archetypo (scil. ipsi diuinae perfectioni) ei confert mentem seu intellegentiam. Anima mundi non tantum informat et uiuificat materiam, sed est uinculum quo materiae connectitur mens; immediate enim mens non potest materiae iungi. *Tim.* 30 B: *νοῦν δ' αὖ χωρὶς ψυχῆς ἀδύνατον*. Sic igitur habemus triplicem naturam, *mentem*, *animam*, *materiam* (*νοῦς*, *ψυχή*, *ὕλη*). Anima est media, partim mentis, partim sensus materialis capax. *Tim.* 34 B: *ψυχὴν δὲ εἰς τὸ μέσον αὐτοῦ* (sc. *σώματος* seu *ὕλης*) *θεὶς διὰ παντός τε ἔτεινε*. Cfr. 31 C; 35 A–B: *τρίτον ἐξ ἀμφοῖν ἐν μέσῳ ξυνεκεράσατο οὐσίας εἶδος*. Ex his tribus Deus condit unum; atque eodem modo homo, *μικρόκοσμος*, est unus e tribus, mente, anima, corpore. Diog. Laert. III, 40 (§ 67): *ὡρίζετο δ' αὐτὴν ἰδέαν τοῦ πάντῃ διεστῶτος πνεύματος· αὐτοκίνητον δ' εἶναι καὶ τριμερῆ* (Didot, p. 83). S. Augustinus: "Hanc enim animam Plato ab intimo terrae medio, quod geometrae centron uocant, per omnes partes eius usque ad caeli summa et extrema diffundi et extendi per numeros musicos opinatur, ut sit iste mundus animal maximum beatissimum sempiternum" (*Ciu. Dei*, XIII, c. 17). Sic *Tim.* 30 D: *ζῷον ἐν ὁρατὸν* est mundus; Hierocles *in aur. carm.* 45: *μέση γὰρ οὖσα ἡ λογικὴ ψυχὴ νοῦ καὶ ἀλογίας* (Mullach, op. cit. I, p. 462). M. Aur. IV, 40: *ὡς ἓν ζῷον τὸν κόσμον, μίαν οὐσίαν καὶ ψυχὴν μίαν ἐπέχον, συνεχῶς ἐπινοεῖν*. Hinc et Vergilius platonizans:

> "Principio caelum ac terras camposque liquentis
> lucentemque globum lunae titaniaque astra
> spiritus intus alit, totamque infusa per artus
> mens agitat molem et magno se corpore miscet.
> Inde hominum pecudumque genus uitaeque uolantum
> et quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus.
> Igneus est ollis uigor et caelestis origo
> seminibus, quantum non noxia corpora tardant
> terrenique hebetant artus moribundaque membra"
> (*Aen.* VI, 724–732).

Quod animam mundi spectat, cfr. etiam *Philebum*, 29 E, 30 D; Proclum in *Tim.* 30 B: *Εἰ ἄρα δεῖ τὸ πᾶν ἔννουν γενέσθαι, δεῖ καὶ ψυχῆς· ὑποδοχὴ γάρ ἐστιν αὕτη τοῦ νοῦ, καὶ δι' αὐτῆς ὁ νοῦς ἐμφαίνεται τοῖς ὄγκοις τοῦ παντός, οὐχ ὅτι δεῖται τῆς ψυχῆς ὁ νοῦς· οὕτω γὰρ ἂν ἀτιμότερος εἴη τῆς ψυχῆς· ἀλλ' ὅτι τὰ σώματα δεῖται τῆς ψυχῆς, εἰ μέλλοι νοῦ μεθέξειν* (ed. E. Diehl, Tb. 1903, I, p. 402, 23–28). *Par.* II, 133–141.

14 *consona membra* sunt diuersae partes mundi. *Tim.* 36 E–37 A.

Quae cum secta duos motum glomerauit in orbes,
in semet reditura meat, mentemque profundam
circuit, et simili conuertit imagine caelum.
Tu causis animas paribus uitasque minores
prouehis, et leuibus sublimes curribus aptans
in caelum terramque seris quas lege benigna
ad te conuersas reduci facis igne reuerti.
Da pater augustam menti conscendere sedem,

15 *secta* anima mundi quatenus distribuitur per elementa aliasque creaturas.
duos in orbes. "Assai difficile a comprendere" ait R. Murari (p. 351). Equidem hic intellego animam sectam perficere ueluti semicirculum utraque parte, ut dimidia eius iungantur circulo perfecto. *Tim.* 44 C–D.

17 *circuit*, animam mundi moueri per circulum, utpote perfectissimam figuram, ac inde caelos circumire in orbem, persuasum est philosophis, maxime Platoni. *Tim.* 33 B: διὸ καὶ σφαιροειδές, ἐκ μέσου πάντῃ πρὸς τὰς τελευτὰς ἴσον ἀπέχον, κυκλοτερὲς αὐτὸ ἐτορνεύσατο, πάντων τελεώτατον ὁμοιότατόν τε αὑτὸ ἑαυτῷ σχημάτων. Cfr. 36 E. Parmenides ap. Mullach, op. cit. I, p. 124, ll. 103–105. Aristot. *de Caelo*, II, 3: ἐπεὶ δ' ὁ οὐρανὸς τοιοῦτος (σῶμα γάρ τι θεῖον) διὰ τοῦτο ἔχει τὸ ἐγκύκλιον σῶμα, ὃ φύσει κινεῖται κύκλῳ ἀεί (Bekker, I, 286 A, 10–12). Cfr. II, 4 totum (286–287). *Metaph.* IV, 6: διὸ καὶ ἡ τοῦ κύκλου μάλιστα μία τῶν γραμμῶν, ὅτι ὅλη καὶ τέλειός ἐστιν (II, 1016 B, 16–17). Proclus in *Tim.* 33 B: τὸ γὰρ σφαιρικὸν καὶ τῷ λαμβάνοντι πρέπον ἐστι καὶ τῷ διδόντι καὶ τῷ παραδείγματι (Tb. II, p. 69, 9–11). Cfr. omnia ibi (pp. 68–79), et ad *Tim.* 36 E (pp. 282–292). M. Aurelius, II, 14; VIII, 41; XI, 12; XII, 3. Plotini *Ennead.* II, lib. II, § 1. Eccl. I, 6. *Par.* II, 127–133; X, 7–15.

18 *animas* hominum. *Vitas minores* bestiarum plantarumque. Sic Maro, *Georg.* IV, 220–227.

19 *leuibus curribus*, sc. corporibus, Plat. *Phaedr.* XXV (246 A–B).

20 *in caelum terramque seris*. Cfr. *Tim.* 41 B-D. Sec. Platonem animae antea stellas habitabant. *Tim.* 41 D–42 B. Cfr. *Par.* IV, 49–57.

21 *ad te conuersas*. *Phaedo*, XXIX (81 A). Pythag. *Aur. Carm.* 70–71.
igne. Plat. *Epinomis*, 981 D. Enni *Epicharmus*: "terra corpus est, at mentis (sc. mens) ignis est," Fragm. III, Postgate I, p. 17. *Aen.* VI, 730: "Igneus est ollis uigor."
ad te reuerti. Cfr. Manilium, IV, 884–895; Macrobius *in Somn. Scip.* I, c. 9.

22 *Da pater*... M. Capella, II, § 193:

"Da pater aetherios mentem conscendere coetus
astrigerumque sacro sub nomine noscere caelum"
(Tb. 1866, p. 49).

Tiberianus: "Da pater augustas ut possim noscere causas" (IV, 28. Bährens, *Poetae lat. min.* Tb. 1877, III, p. 268). Cfr. Peiper, *Boethius*, III, Tb. 1871, p. LVII; Semeria, op. cit. pp. 66–67.
augustam sedem. *Georg.* IV, 228, sec. Seruium.

da fontem lustrare boni, da luce reperta
in te conspicuos animi defigere uisus.
Disice terrenae nebulas et pondera molis
atque tuo splendore mica. Tu namque serenum,
tu requies tranquilla piis, te cernere finis,
principium, uector, dux, semita, terminus idem.

PROSA X

Summum bonum est ipse deus

Exsistit summum bonum.

§ 1 Quoniam igitur quae sit imperfecti, quae etiam perfecti boni forma uidisti, nunc demonstrandum reor quonam 2 haec felicitatis perfectio constituta sit. In quo illud primum arbitror inquirendum, an aliquod huiusmodi bonum, quale paulo ante definisti, in rerum natura possit exsistere, ne nos praeter rei subiectae ueritatem cassa cogitationis imago decipiat. Sed quin exsistat sitque hoc ueluti quidam omnium fons bonorum, negari nequit. 3 Omne enim quod imperfectum esse dicitur, id imminutione perfecti imperfectum esse perhibetur. Quo fit, ut

25 *molis*, sc. corporis.

27 *te cernere finis*. Cfr. Ioh. XVII, 3; Aug. *Enarr. in Ps.* XLII, 2 (P.L. XXXVI, 477). Citat Dantes, *Ep.* X, 33, 616–618; cfr. *Par.* I, 106–108.

28 *principium*. Ἀρχὴν αὐτὸς ἔχων καὶ μέσατον ἠδὲ τελευτήν, inter fragm. orphica II, 35 (Mullach, *Fragm. Phil. Graec.* I, p. 167).
Plato, *Leg.* IV, 70 E–71 A: ὁ μὲν δὴ θεός, ὥσπερ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος (sc. Orpheus, ut supra), ἀρχήν τε καὶ τελευτὴν καὶ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων εὐθείᾳ περαίνει κατὰ φύσιν περιπορευόμενος.
uector. Seneca, ep. IV, 2 (al. 31), § 10: "Deus ille maximus potentissimusque ipse uehit omnia" (Tb. 1914, p. 105, 5–6). Cfr. Hebr. I, 3.
Tiberiani carm. IV, 7–8:
"Tu solus, tu multus item, tu primus et idem
postremus mediusque simul mundoque superstans"
(Bährens, op. cit. III, p. 267).
Apuleius *de Mundo*, XXXVIII (Tb. 1908, III, p. 175).

22–28 Nec Pater ecclesiae, ait C. E. Rathier, melius de gratia diuina loqueretur (*La Cons. Phil. de Boèce*, Parisiis, Hachette, 1852, praef. p. XXVIII, quem citat Murari, p. 135). Audiatur et ipse R. Murari: "Chi può citare in tutta la letteratura pagana una preghiera come questa? Qual cristiano fervente non farebbe sue queste sublimi aspirazioni del nostro filosofo?" (ib.).

si in quolibet genere imperfectum quid esse uideatur, in
4 eo perfectum quoque aliquid esse necesse sit. Etenim,
perfectione sublata, unde illud quod imperfectum per-
hibetur exstiterit ne fingi quidem potest. Neque enim
ab deminutis inconsummatisque natura rerum cepit
exordium, sed ab integris absolutisque procedens in
5 haec extrema atque effeta dilabitur. Quod si, uti paulo
ante monstrauimus, est quaedam boni fragilis imperfecta
felicitas, esse aliquam solidam perfectamque non potest
dubitari. B. Firmissime, inquam, uerissimeque con-
clusum est. P. Quo uero, inquit, habitet, ita considera.

Nihil deo melius.

6 Deum rerum omnium principem bonum esse, com-
munis humanorum conceptio probat animorum. Nam
cum nihil deo melius excogitari queat, id quo melius
nihil est bonum esse quis dubitet? Ita uero bonum esse
deum ratio demonstrat, ut perfectum quoque in eo
7 bonum esse conuincat. Nam ni tale sit, rerum omnium
princeps esse non poterit; erit enim eo praestantius
aliquid perfectum possidens bonum, quod hoc prius
atque antiquius esse uideatur; omnia namque perfecta
minus integris priora esse claruerunt. Quare, ne in in-
finitum ratio prodeat, confitendum est summum deum
8 summi perfectique boni esse plenissimum. Sed per-
fectum bonum ueram esse beatitudinem constituimus;
ueram igitur beatitudinem in summo deo sitam esse
necesse est. B. Accipio, inquam; nec est quod con-
tradici ullo modo queat.

---

32 *prodeat*, Ob. *procedat*.

Pr. X, § 3 *si in quolibet genere*, etc. Est argumentum exsistentis Dei e gradibus perfectionis, ut Augustinus, *Ciu. Dei*, VIII, 6, et recentius Aquinas, *Sum. theol.* I, q. II, art. 3: "quarta uia." Cfr. Nitzsch, 55–57; Semeria, 74–75.

§ 6 *nihil Deo melius*, locus qui suggerit celebre illud argumentum dictum ontologicum propositum a s. Anselmo: *Proslog.* III (P.L. CLVIII, 228), *Libri apologet. c. Gaunilonem*, I–II (ib. 249–252). Tamen non est argumentum ontologicum cum hic non demonstret Boethius exsistentiam Dei, quam supponit probatam a posteriori, sc. argum. cosmologico. Cfr. Semeria, p. 75.

9 P. Sed quaeso, inquit, te, uide quam id sancte atque inuiolabiliter probes, quod boni summi summum deum diximus esse plenissimum. B. Quonam, inquam, modo? *Deus non participat bonum, est bonitas.*

10 P. Ne hunc rerum omnium patrem illud summum bonum quo plenus esse perhibetur uel extrinsecus accepisse, uel ita naturaliter habere praesumas, quasi habentis dei habitaeque beatitudinis diuersam cogites

11 esse substantiam. Nam si extrinsecus acceptum putes, praestantius id quod dederit ab eo quod acceperit existimare possis. Sed hunc esse rerum omnium praecellentissimum dignissime confitemur. Quod si natura quidem inest, sed est ratione diuersum, cum de rerum principe loquamur deo, fingat qui potest, quis haec

12 diuersa coniunxerit? Postremo quod a qualibet re diuersum est, id non est illud a quo intellegitur esse diuersum. Quare quod a summo bono diuersum est sui natura, id summum bonum non est; quod nefas est de

13 eo cogitare, quo nihil constat esse praestantius. Omnino enim nullius rei natura suo principio melior poterit exsistere, quare quod omnium principium sit, id etiam sui substantia summum esse bonum uerissima ratione

14 concluserim. B. Rectissime, inquam. P. Sed summum bonum beatitudinem esse concessum est. B. Ita est, inquam. P. Igitur, inquit, deum esse ipsam beatitudinem necesse est confiteri. B. Nec propositis, inquam, prioribus refragari queo, et illis hoc inlatum consequens

15 esse perspicio. P. Respice, inquit, an hinc quoque idem firmius approbetur, quod duo summa bona quae a se diuersa sint esse non possunt. Etenim quae discrepant bona, non esse alterum quod sit alterum liquet; quare neutrum poterit esse perfectum, cum alterutri alterum *Nec aliud summum bonum praeter deum.*

63 *illis*, Vall. *ab illis*.

§ 10 *quasi habentis Dei*, etc. Attributa diuina (utpote bonitatem, beatitudinem) esse ipsam diuinam essentiam, non inhaerentia accidentia communis est doctrina theologorum ac catholicorum philosophorum. Aug. *de Trin.* v, c. 1, § 2; c. 2, § 5 (P.L. XLII, 912–913); Aquinas, *Sum. theol.* I, q. III, art. 6–7; q. XXVI, art. 2.

§ 13 Alex. Halens. I, q. XIV, m. 1 (I, p. 58).

§ 15 Ib. m. 3 (I, p. 60).

deest. Sed quod perfectum non sit, id summum non esse manifestum est; nullo modo igitur quae summa
16 sunt bona ea possunt esse diuersa. Atqui et beatitudinem et deum summum bonum esse collegimus; quare ipsam necesse est summam esse beatitudinem quae sit summa diuinitas. B. Nihil, inquam, nec reapse uerius, nec ratiocinatione firmius, nec deo dignius concludi potest.

Omnes beati participant diuinitatem.

17 P. Super haec, inquit, igitur, ueluti geometrae solent demonstratis propositis aliquid inferre, quae πορίσματα ipsi uocant, ita ego quoque tibi ueluti corollarium dabo.
18 Nam quoniam beatitudinis adeptione fiunt homines beati, beatitudo uero est ipsa diuinitas, diuinitatis adeptione beatos fieri manifestum est. Sed uti iustitiae adeptione iusti, sapientiae sapientes fiunt, ita diuinitatem adeptos deos fieri simili ratione necesse est.
19 Omnis igitur beatus deus, sed natura quidem unus; participatione uero nihil prohibet esse quam plurimos.

74 *reapse*, Eng. (p. 43), Pp. Ob. *re ipsa*. 77 πορίσματα, Vall. πόρισμα.

§ 17 πορίσματα. Cfr. *Purg.* XXVIII, 134–136; *Par.* VIII, 138.

§ 19 *Omnis beatus deus participatione.* Cfr. Procli *in Plat. theol.* III, c. 7: Τὸ γὰρ εἶναι θεοὶ πάντες οἱ θεοὶ διὰ τὸν πρῶτον ἔχουσι θεόν (ed. Aemilius Portus, Hamburgi, 1618, p. 132). Hinc nonnulli dicunt Boethium pantheistam. Accusatio haec nimis ridicula. Sic enim loquuntur fere omnes Patres ecclesiae et ipsi libri sacri. Porro auctor caute distinguit inter unum natura Deum ac homines participes diuinitatis, ut ne umbra quidem sit scandali ex hoc loco. Vide Ps. LXXXI, 6, quem citat Dominus, Ioh. X, 34–35; II Petr. I, 4: ἵνα διὰ τούτων γένησθε θείας κοινωνοὶ φύσεως. Aug. *Ciu. Dei*, IX, c. 23: "Sed homines quoque in populo Dei eadem scriptura deos appellat." Hier. "Deus factus est homo, ut homo deus fieret" (ep. 25, P.L. XXX, 227 A). Leo I: "Agnosce, o christiane, dignitatem tuam, et diuinae consors factus naturae noli in ueterem uilitatem degeneri conuersatione redire" (Sermo XXI, al. XX, P.L. LIV, 192 C). Aquinas citat auctorem nostrum, nihil certe suspicans eum inde posse dici paganum: "Homines autem sunt beati, sicut dicit Boethius, per participationem, sicut et dii per participationem dicuntur" (I–II, q. III, art. 1, ad 1). Cfr. I–II, qu. CX, art. 2, ad 2: "Id enim quod substantialiter est in Deo, accidentaliter fit in anima participante diuinam bonitatem." I–II, qu. CXII, art. 1: "Sic enim necesse est quod solus Deus deificet, communicando consortium diuinae naturae per quamdam similitudinis participationem." Cfr. Semeria, p. 77; Murari, pp. 120–121. Cfr. et supra p. xxxvii.

B. Et pulchrum, inquam, hoc atque pretiosum, siue πόρισμα siue corollarium uocari mauis. P. Atqui hoc quoque pulchrius nihil est, quod his annectendum esse ratio persuadet. B. Quid? inquam.

20 P. Cum multa, inquit, beatitudo continere uideatur, utrumne haec omnia unum ueluti corpus beatitudinis quadam partium uarietate coniungant, an sit eorum aliquid quod beatitudinis substantiam compleat, ad hoc uero cetera referantur? B. Vellem, inquam, id ipsarum 21 rerum commemoratione patefaceres. P. Nonne, inquit, beatitudinem bonum esse censemus? B. Ac summum quidem, inquam. P. Addas, inquit, hoc omnibus licet. Nam eadem sufficientia summa est, eadem summa potentia, reuerentia quoque, claritas ac uoluptas beatitudo 22 esse iudicatur. B. Quid igitur? P. Haecine omnia bonum, sufficientia, potentia ceteraque, ueluti quaedam beatitudinis membra sunt, an ad bonum ueluti ad uerticem cuncta referuntur? B. Intellego, inquam, quid inuestigandum proponas; sed quid constituas audire 23 desidero. P. Cuius discretionem rei sic accipe. Si haec omnia beatitudinis membra forent, a se quoque inuicem discreparent. Haec est enim partium natura, ut unum 24 corpus diuersa componant. Atqui haec omnia idem esse monstrata sunt, minime igitur membra sunt; alioquin ex uno membro beatitudo uidebitur esse coniuncta, quod fieri nequit. B. Id quidem, inquam, dubium non est; 25 sed id quod restat exspecto. P. Ad bonum uero cetera referri palam est. Idcirco enim sufficientia petitur, quoniam bonum esse iudicatur; idcirco potentia, quoniam id quoque esse creditur bonum; idem de reuerentia, claritudine, iucunditate coniectare licet. Omnium igitur 26 expetendorum summa atque causa bonum est. Quod enim neque re neque similitudine ullum in se retinet bonum, id expeti nullo modo potest. Contraque etiam

Vnum bonum est ipsa beatitudo, quam participant cetera.

§ 21 citat Aquinas, *Sum. theol.* I, q. XXVI, art. 4.

§ 25 *Omnium expetendorum summa.* Arist. *Moralium Magn.* I, c. 1: *Πρῶτον μὲν οὖν ἰδεῖν δεῖ ὅτι πάσης ἐπιστήμης καὶ δυνάμεως ἐστί τι τέλος, καὶ τοῦτ' ἀγαθόν· οὐδεμία γὰρ οὔτ' ἐπιστήμη οὔτε δύναμις ἕνεκεν κακοῦ ἐστίν* (Bekker, II, p. 1182, col. 1, 32–35). Alex. Halens. I, q. XVII, m. 1, 3 (I, pp. 77, 78).

quae natura bona non sunt, tamen si esse uideantur, quasi uere bona sint appetuntur. Quo fit uti summa, cardo atque causa expetendorum omnium bonitas esse
27 iure credatur. Cuius uero causa quid expetitur, id maxime uidetur optari; ueluti si salutis causa quispiam uelit equitare, non tam equitandi motum desiderat quam salutis effectum.

Alia petuntur boni gratia.

28 Cum igitur omnia boni gratia petantur, non illa potius quam bonum ipsum desideratur ab omnibus. Sed propter quod cetera optantur, beatitudinem esse concessimus. Quare sic quoque sola quaeritur beatitudo.
29 Ex quo liquido apparet ipsius boni et beatitudinis unam atque eandem esse substantiam. B. Nihil uideo cur dissentire quispiam possit. P. Sed deum ueramque beatitudinem unum atque idem esse monstrauimus. B. Ita, inquam. P. Securo igitur concludere licet, dei quoque in ipso bono nec usquam alio sitam esse substantiam.

Essentia dei est bonitas.

METRVM X

Capiant omnes notionem summi boni sole clariorem

Huc omnes pariter uenite capti
quos ligat fallax roseis catenis
terrenas habitans libido mentes.
Haec erit uobis requies laborum,
hic portus placida manens quiete,
hoc patens unum miseris asylum.
Non quidquid Tagus aureis harenis

---

121 *uere*, Vall. *uera*. *uti*, Ob. *ut*. 135 *Securo*, Vall., Ob. *Secure*. M. X, 2 *ligat fallax roseis*, Ob. *fallax ligat inprobis*. 3 *habitans*, Vall. *hebetans*.

Metrum X: uersus phalaecii cum sapphicis alternis:

– – | – ⏑⏑ | – ‖ ⏑ | – ⏑ | – ⏑
– ⏑ | – – | – ‖ ⏑⏑ | – ⏑ | – ⏑

1 Cfr. Mt. XI, 28.
5 (Sen.) *Oct.* 731–732: "Nec diu placida frui | quiete licuit."
7 Sen. *Thy.* 353–355:
"Non quicquid fodit occidens,
aut unda Tagus aurea
claro deuehit alueo."

donat aut Hermus rutilante ripa
aut Indus calido propinquus orbi
candidis miscens uirides lapillos,
inlustrent aciem magisque caecos
in suas condunt animos tenebras.
Hoc quidquid placet excitatque mentes,
infimis tellus aluit cauernis;
splendor quo regitur uigetque caelum,
uitat obscuras animae ruinas.
Hanc quisquis poterit notare lucem,
candidos Phoebi radios negabit.

PROSA XI

Producitur corollarium. Bonitas eadem res ac unitas

Enumeratio dictorum.

§ 1 Assentior, inquam; cuncta enim firmissimis nexa rationibus constant. P. Tum illa: Quanti, inquit, aestimabis, si bonum ipsum quid sit agnoueris? B. Infinito, inquam; si quidem mihi pariter deum quoque qui bonum 2 est continget agnoscere. P. Atqui hoc uerissima, inquit, ratione patefaciam; maneant modo quae paulo ante 3 conclusa sunt. B. Manebunt. P. Nonne, inquit, monstrauimus ea quae appetuntur pluribus idcirco uera perfectaque bona non esse, quoniam a se inuicem discreparent, cumque alteri abesset alterum, plenum absolutumque bonum afferre non posse? Tum autem uerum bonum fieri, cum in unam ueluti formam atque efficientiam colliguntur, ut quae sufficientia est, eadem sit potentia, reuerentia, claritas atque iucunditas; nisi uero unum atque idem omnia sint, nihil habere quo inter

Pr. XI, 8 *pluribus*, Vall. *a pluribus*.

8 *Hermus* (Ἕρμος, nunc turcice *Gedis tšai*) flumen Asiae minoris. Surgit in monte Dindymo, irrigat Lydiam, funditur in sinum smyrnaeum ad septentr. a ciuitate. Herod. I, c. 80, § 1; *Georg.* II, 137: "auro turbidus Hermus"; (Sen.) *Herc. Oet.* 631: "Nec si totus seruiat Hermus."
9 Sen. *Thy.* 602: "Phoebi propioris Indus."
10 Lucretius, II, 805: "inter curalium (al. caeruleum) uiridis miscere zmaragdos."
Pr. XI, § 3 *monstrauimus*, sc. huius lib. III, pr. IX, §§ 4–7 (p. 78).

expetenda numerentur? B. Demonstratum, inquam, nec dubitari ullo modo potest.

Vnitas essentia boni.

4 P. Quae igitur cum discrepant minime bona sunt, cum uero unum esse coeperint, bona fiunt, nonne haec, ut bona sint, unitatis fieri adeptione contingit? B. Ita, 5 inquam, uidetur. P. Sed omne quod bonum est boni participatione bonum esse concedis, an minime? B. Ita est. P. Oportet igitur idem esse unum atque bonum simili ratione concedas; eadem namque substantia est eorum quorum naturaliter non est diuersus effectus.

Quiduis perit si desinit unum esse.

6 B. Negare, inquam, nequeo. P. Nostine igitur, inquit, omne quod est tam diu manere atque subsistere quam diu sit unum, sed interire atque dissolui pariter atque 7 unum destiterit? B. Quonam modo? P. Vt in animalibus, inquit, cum in unum coeunt ac permanent anima corpusque, id animal uocatur; cum uero haec unitas utriusque separatione dissoluitur, interire nec iam esse animal liquet. Ipsum quoque corpus, cum in una forma membrorum coniunctione permanet, humana uisitur species; at si distributae segregataeque partes corporis distraxerint unitatem, desinit esse quod fuerat. 8 Eoque modo percurrenti cetera procul dubio patebit subsistere unumquodque, dum unum est, cum uero unum esse desinit interire. B. Consideranti, inquam, 9 mihi plura minime aliud uidetur. P. Estne igitur, inquit, quod in quantum naturaliter agat, relicta subsistendi appetentia, uenire ad interitum corruptionemque 10 desideret? B. Si animalia, inquam, considerem quae habent aliquam uolendi nolendique naturam, nihil inuenio quod, nullis extra cogentibus, abiciant manendi intentionem et ad interitum sponte festinent. Omne namque animal tueri salutem laborat, mortem uero 11 perniciemque deuitat. Sed quid de herbis arboribusque, quid de inanimatis omnino consentiam rebus prorsus 12 dubito. P. Atqui non est quod de hoc quoque possis

§ 5 *boni participatione.* Ita Boethius et alio loco, sc. *Quomodo substantiae* (ed. Peiper, Tb. p. 168, ll. 1–4; pp. 172–173, ll. 122–143. P.L. LXIV, 1311–1314).

§ 6 Alex. Halens. I, q. XIV, m. 1 (I, p. 58).

ambigere, cum herbas atque arbores intuearis primum sibi conuenientibus innasci locis, ubi quantum earum natura queat cito exarescere atque interire non possint.
13 Nam aliae quidem campis, aliae montibus oriuntur; alias ferunt paludes, aliae saxis haerent, aliarum fecundae sunt steriles harenae, quas si in alia quispiam loca transferre conetur arescant. Sed dat cuique natura quod conuenit, et ne dum manere possunt intereant,
14 elaborat. Quid quod omnes uelut in terras ore demerso trahunt alimenta radicibus ac per medullas robur corticemque diffundunt? Quid quod mollissimum quidque, sicuti medulla est, interiore semper sede reconditur, extra uero quadam ligni firmitate, ultimus autem cortex aduersum caeli intemperiem, quasi mali patiens de-
15 fensor, opponitur? Iam uero quanta est naturae diligentia ut cuncta semine multiplicato propagentur. Quae omnia non modo ad tempus manendi, uerum generatim quoque, quasi in perpetuum permanendi, ueluti quas-
16 dam machinas esse quis nesciat? Ea etiam quae inanimata esse creduntur, nonne quod suum est quaeque simili ratione desiderant? Cur enim flammas quidem sursum leuitas uehit, terras uero deorsum pondus deprimit, nisi quod haec singulis loca motionesque conueniunt?

17 Porro autem quod cuique consentaneum est, id unumquodque conseruat; sicuti ea quae sunt inimica corrumpunt. Iam uero quae dura sunt, ut lapides, adhaerent tenacissime partibus suis, et ne facile dissoluantur resistunt. Quae uero liquentia, ut aer atque aqua, facile quidem diuidentibus cedunt, sed cito in ea rursus a quibus sunt abscisa relabuntur; ignis uero omnem re-
18 fugit sectionem. Neque nunc nos de uoluntariis animae cognoscentis motibus, sed de naturali intentione trac-

Omnia cupiunt permanere

59 *Quid*, Vall. *Quid dicam, quod.* 61 *quidque*, Vall. *quodque.* 63 *firmitate*, Vall. Ob. *firmitate tegitur.*

§ 13 *aliae quidem campis*, etc. *Georg.* II, 109–113. *Conv.* III, 3, ll. 21–30.
§ 16 *flammas sursum. Purg.* XVIII, 28–30.

tamus; sicuti est quod acceptas escas sine cogitatione transigimus, quod in somno spiritum ducimus nescientes.

19 Nam ne in animalibus quidem manendi amor ex animae uoluntatibus, uerum ex naturae principiis uenit. Nam saepe mortem, cogentibus causis, quam natura reformidat uoluntas amplectitur; contraque illud quo solo mortalium rerum durat diuturnitas gignendi opus, quod natura semper appetit, interdum coercet uoluntas. Adeo haec sui caritas non ex animali motione, sed ex naturali

20 intentione procedit. Dedit enim prouidentia creatis a se rebus hanc uel maximam manendi causam, ut quoad possunt naturaliter manere desiderent; quare nihil est quod ullo modo queas dubitare cuncta quae sunt appetere naturaliter constantiam permanendi, deuitare perniciem. B. Confiteor, inquam, nunc me indubitato cernere quae dudum incerta uidebantur.

Id est seruare suam unitatem.

21 P. Quod autem, inquit, subsistere ac permanere petit, id unum esse desiderat; hoc enim sublato, ne esse quidem cuiquam permanebit. B. Verum est, inquam. P. Omnia igitur, inquit, unum desiderant. B. Consensi.

Sed unitas est bonitas.

22 P. Sed unum id ipsum monstrauimus esse quod bonum. B. Ita quidem. P. Cuncta igitur bonum petunt, quod quidem ita describas licet, ipsum bonum esse quod desideretur ab omnibus. B. Nihil, inquam, uerius ex-

23 cogitari potest. Nam uel ad nihil unum cuncta referuntur, et uno ueluti uertice destituta sine rectore

§ 19 *sui caritas ex naturali intentione. Sum. theol.* I, q. LX, art. 5, ad 1: "unumquodque diligit naturaliter magis seipsum quam alterum"; I–II, q. X, art. 1; q. LXXVII, art. 4, ad 1, etc. *Purg.* XVII, 106–108:

> "Or, perchè mai non può dalla salute
> amor del suo suggetto torcer viso,
> dall' odio proprio son le cose tute."

§ 21 Alex. Halens. I, q. XIII, m. 2 (I, p. 54).

§§ 21–22 Ib. I, q. XVII, m. 4 (I, p. 79).

§ 22 *unum id ipsum quod bonum*, monstratum supra, hac prosa XI, § 3 (p. 91). Sex transcendentalia, quae sint ens, res, aliquid, unum, uerum, bonum, reapse idem esse docet Philosophus, *Metaph.* IV, 2; cfr. XII, 10: καίτοι ἐν ἅπασι μάλιστα τὸ ἀγαθὸν ἀρχή (Bekker, II, 1075 A, 37). Id. Aquinas *S. theol.* I, q. CIII, art. 3; I–II, q. XXXVI, art. 3; *Quaest. disp.* XI (de ueritate) qu. I, art. 1, in corp. Dantes *de Mon.* I, 15, 13–15.

fluitabunt, aut si quid est ad quod uniuersa festinant,
24 id erit omnium summum bonorum. P. Et illa: Nimium,
inquit, o alumne, laetor; ipsam enim mediae ueritatis
notam mente fixisti. Sed in hoc patuit tibi quod igno-
25 rare te paulo ante dicebas. B. Quid? inquam. P. Quis
esset, inquit, rerum omnium finis. Is est enim profecto,
quod desideratur ab omnibus, quod quia bonum esse
collegimus, oportet rerum omnium finem bonum esse
fateamur.

METRVM XI

Lumen ingenitum menti

Quisquis profunda mente uestigat uerum,
cupitque nullis ille deuiis falli,
in se reuoluat intimi lucem uisus,
longosque in orbem cogat inflectens motus,
animumque doceat quidquid extra molitur
suis retrusum possidere thesauris.
Dudum quod atra texit erroris nubes
lucebit ipso perspicacius Phoebo.
Non omne namque mente depulit lumen
obliuiosam corpus inuehens molem.
Haeret profecto semen introrsum ueri

---

110 *festinant*, Eng. (p. 33) et Pp., Ob. *festinent*. 115 *Is*, Vall. *Id.*

---

§ 24. *media ueritas*. Sic *Aen.* II, 533: "media iam morte."
Metrum XI senarii (claudi):

⏑ – | ∪ – | ⏑ || – | ∪ – | ⏑ – | – –

(1 et anapaestus).

9 *Non omne mente depulit lumen*. Nota doctrina Platonis scientiam primorum principiorum esse reminiscentiam e priore uita animae; *Meno*, XV–XXI (81 C–86 C), quam refutat Augustinus *de Trin.* XII, 15 (P.L. XLII, 1011–1012).

11 *Haeret semen*. Pindarus:

ἐν δ' ἀρετὰν
ἔβαλεν καὶ χάρματ' ἀνθρώποισι Προμαθέος αἰδώς·
ἐπὶ μὰν βαίνει τι καὶ λάθας ἀτέκμαρτα νέφος,
καὶ παρέλκει πραγμάτων ὀρθὰν ὁδὸν
ἔξω φρενῶν (*Olymp.* VII, 80–84 (al. 44–46)).

Plato: Ἐρωτώμενοι ἄνθρωποι, ἐάν τις καλῶς ἐρωτᾷ, αὐτοὶ λέγουσι πάνθ' ἃ ἔχει· καίτοι εἰ μὴ ἐτύγχανεν αὐτοῖς ἐπιστήμη ἐνοῦσα καὶ ὀρθὸς λόγος, οὐκ ἂν οἷοί τ' ἦσαν τοῦτο ποιῆσαι.

quod excitatur uentilante doctrina.
Nam cur rogati sponte recta censetis,
ni mersus alto uiueret fomes corde?
Quod si Platonis musa personat uerum,
quod quisque discit immemor recordatur.

[IV. QVIBVS GVBERNACVLIS MVNDVS REGATVR]

PROSA XII

Omnia natura sua conuertuntur ad deum

Mens reminiscitur olim nota.

§ 1 Tum ego: Platoni, inquam, uehementer assentior, nam me horum iam secundo commemoras, primum quod memoriam corporea contagione, dehinc cum maeroris 2 mole pressus amisi. P. Tum illa: Si priora, inquit, concessa respicias, ne illud quidem longius aberit quin recorderis quod te dudum nescire confessus es. B. Quid? 3 inquam. P. Quibus, ait illa, gubernaculis mundus regatur. B. Memini, inquam, me inscitiam meam fuisse confessum; sed quid afferas, licet iam prospiciam,

---

Pr. XII, 4 *priora*, Vall. *superiora*.

Phaedonis XVIII (73 A). Seneca: "Omnium honestarum rerum semina animae gerunt, quae admonitione excitantur, non aliter quam scintilla flatu leui adiuta ignem suum explicat." Ep. 94 (*ad Lucil.* XV, 2), § 29 (Tb. 1904, tom. III, p. 425).

13 *cur rogati*... Cicero, *Tuscul. disput.* I, c. 24, § 57: "Habet (anima) primum memoriam, et eam infinitam rerum innumerabilium, quam quidem Plato recordationem esse uult uitae superioris."
Arnobius, *adu. Nat.* II, 24: "Quid in Menone, o Plato, quaedam rationibus numeri admota ex puerculo sciscitaris et ex eius responsionibus comprobare, quae discamus non discere sed in eorum memoriam quae antiquitus noueramus redire?" CSEL IV, p. 67, 14–18.

15 *Platonis musa*, multis locis, e.gr. *Phaedone*, XVIII–XXII (72 E–77 B), *Menone*, XV–XXI (81 C–86 C), *Phaedro*, XXIX (249 C), etc. Sic et Aristoteles *de anim. gen.* II, 3 (Bekker, I, 736 B, ll. 27–29): Λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι καὶ θεῖον εἶναι μόνον· οὐδὲν γὰρ αὐτοῦ τῇ ἐνεργείᾳ κοινωνεῖ σωματικὴ ἐνέργεια.
Postea doctrina platonica de praeexsistentia animarum defenditur ab Origene et ab aliis Christianis, damnatur demum a Conc. Lateranensi II, anno 1215. Cfr. pp. xliii–xlv.

Pr. XII, § 2 *quod te nescire confessus es*, sc. naturam hominis. Cfr. I, p. VI, § 9 (p. 26).

4 planius tamen ex te audire desidero. P. Mundum, inquit, hunc deo regi paulo ante minime dubitandum putabas. B. Ne nunc quidem arbitror, inquam, nec umquam dubitandum putabo, quibusque in hoc rationibus accedam breuiter exponam.

Vnus deus omnia coniungit

5 Mundus hic ex tam diuersis contrariisque partibus in unam formam minime conuenisset, nisi unus esset qui tam diuersa coniungeret. Coniuncta uero naturarum ipsa diuersitas inuicem discors dissociaret atque diuel-
6 leret, nisi unus esset qui quod nexuit contineret. Non tam uero certus naturae ordo procederet, nec tam dispositos motus locis, temporibus, efficientia, spatiis, qualitatibus explicarent, nisi unus esset qui has mutationum uarietates manens ipse disponeret. Hoc quidquid est quo condita manent atque agitantur, usitato
7 cunctis uocabulo, deum nomino. P. Tum illa: Cum haec, inquit, ita sentias, paruam mihi restare operam puto, ut felicitatis compos patriam sospes reuisas. Sed quae proposuimus intueamur.

Ergo omnia tendunt ad deum.

8 Nonne in beatitudine sufficientiam numerauimus, deumque beatitudinem ipsam esse consensimus? B. Ita quidem. P. Et ad mundum igitur, inquit, regendum nullis extrinsecus adminiculis indigebit. Alioquin, si quo egeat, plenam sufficientiam non habebit. B. Id,
9 inquam, ita est necessarium. P. Per se igitur solum cuncta disponit. B. Negari, inquam, nequit. P. Atqui deus ipsum bonum esse monstratus est. B. Memini,
10 inquam. P. Per bonum igitur cuncta disponit, si quidem per se regit omnia quem bonum esse consensimus, et hic est ueluti quidam clauus atque gubernaculum quo mundana machina stabilis atque incorrupta seruatur.

---

11 *deo*, Vall. *a deo*. 30, 38 *consensimus*, Vall. *concensimus*.

---

§§ 5–6 Argumentum teleologicum quo euincitur exsistentia Dei. Est quinta uia Aquinatis (*S. theol.* I, q. II, art. 3); iterum iterumque ab innumeris propositum theologis. Iam Cicero id optime proponit, *Tuscul. Disput.* I, cap. 28–29 (§§ 68–70).

§ 6 *Hoc... Deum nomino.* Est notum argumentum teleologicum. Cfr. tractatum, attributum Boethio, *de fide cath.* (ed. R. Peiper, p. 177, ll. 51–61); Semeria, p. 74.

B. Vehementer assentior, inquam, et id te paulo ante
11 dicturam tenui licet suspicione prospexi. P. Credo, inquit; iam enim, ut arbitror, uigilantius ad cernenda uera oculos deducis; sed quod dicam non minus ad contuen-
12 dum patet. B. Quid? inquam. P. Cum deus, inquit, omnia bonitatis clauo gubernare iure credatur, eademque omnia, sicuti docui, ad bonum naturali intentione festinent; num dubitari potest quin uoluntaria regantur, seque ad disponentis nutum ueluti conuenientia con-
Nihil resistit deo. temperataque rectori sponte conuertant? B. Ita, inquam, necesse est; nec beatum regimen esse uideretur, si quidem detrectantium iugum foret, non obtemperan-
13 tium salus. P. Nihil est igitur quod naturam seruans deo contraire conetur. B. Nihil, inquam. P. Quod si conetur, ait, num tandem proficiet quidquam aduersus eum quem iure beatitudinis potentissimum esse con-
14 cessimus? B. Prorsus, inquam, nihil ualeret. P. Non est igitur aliquid quod summo huic bono uel uelit uel
15 possit obsistere. B. Non, inquam, arbitror. P. Est igitur summum, inquit, bonum quod regit cuncta fortiter suauiterque disponit. B. Tum ego: Quam, inquam, me non modo ea quae conclusa est summa rationum, uerum multo magis haec ipsa quibus uteris uerba delectant, ut tandem aliquando stultitiam magna laceran-
16 tem sui pudeat. P. Accepisti, inquit, in fabulis lacessentes caelum gigantas; sed illos quoque, uti condignum fuit, benigna fortitudo disposuit. Sed uisne rationes ipsas inuicem collidamus? Forsitan ex huiusmodi conflictatione pulchra quaedam ueritatis scintilla dissiliat. B. Tuo, inquam, arbitratu.

48 *uoluntaria*, Vall. *uoluntarie*. 64 *lacerantem*, Vall. *latrantem*.
66 *gigantas*, Vall. Ob. *gigantes*. 67 *disposuit*, Vall. *deposuit*.

§ 15 *fortiter suauiterque*, etc. Est certissima citatio e s. Scriptura in hoc opere, sc. Sap. VIII, 1: "Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suauiter." Cfr. Sap. XII, 15. Nota Boethium laudare uerba quibus usa sit Philosophia, unde colliges eum noscitare Scripturam citatam.

§ 16 *lacessentes caelum gigantes*. *Metam.* I, 151–153. Cicero *de Senect.* II, 5: "Quid est enim aliud gigantum modo bellare cum dis nisi naturae repugnare?"

17 P. Deum, inquit, esse omnium potentem nemo dubitauerit. B. Qui quidem, inquam, mente consistat, nullus prorsus ambigat. P. Qui uero est, inquit, omnium potens, nihil est quod ille non possit. B. Nihil, inquam.

Malum non fit a deo, ergo nihil est.

18 P. Num igitur deus facere malum potest? B. Minime, inquam. P. Malum igitur, inquit, nihil est; cum id 19 facere ille non possit, qui nihil non potest. B. Ludisne, inquam, me inextricabilem labyrinthum rationibus texens, quae nunc quidem quo egrediaris introeas, nunc uero quo introieris egrediare, an mirabilem quendam diuinae simplicitatis orbem complicas?

20 Etenim paulo ante beatitudine incipiens eam summum bonum esse dicebas, quam in summo deo sitam loquebare. Ipsum quoque deum summum esse bonum, plenamque beatitudinem disserebas; ex quo neminem beatum fore, nisi qui pariter deus esset, quasi munus- 21 culum dabas. Rursus ipsam boni formam dei ac beatitudinis loquebaris esse substantiam, ipsumque unum id ipsum esse bonum docebas quod ab omni rerum natura peteretur. Deum quoque bonitatis gubernaculis uniuersitatem regere disputabas, uolentiaque cuncta parere, nec ullam mali esse naturam. Atque haec nullis extrinsecus sumptis, sed ex altero fidem trahente insitis 22 domesticisque probationibus explicabas. P. Tum illa: Minime, inquit, ludimus, remque omnium maximam 23 dei munere quem dudum deprecabamur exegimus. Ea est enim diuinae forma substantiae ut neque in externa dilabatur, nec in se externum aliquid ipsa suscipiat; sed,

Deus uoluit omnia ut ad se reuertantur.

---

79 *quo egrediaris*, Vall. *qua egrediaris*, Id. Vall. *qua introieris*. 82 *beatitudine*, Ob. *a beatitudine*. 93 *ex altero*, Ob. *altero ex altero*.

---

§ 18 *Malum nihil est.* Ita saepius diuinus Plato, e.gr. sententiam Boethi habes ad amussim in *Republ.* 379 B–C. Cfr. et ib. 608 E: τὸ μὲν ἀπολλύον καὶ διαφθεῖρον πᾶν τὸ κακὸν εἶναι. Est porro haec sententia omnium fere philosophorum, uti s. Thomae, I, q. XIV, art. 10; q. XLVIII, art. 1; q. XLVIII, art. 2, ad 2, etc. Immo sequitur e noto dogmate omnia quae sint esse bona.

sicut de ea Parmenides ait: Πάντοθεν εὐκύκλου σφαίρης ἐναλίγκιον ὄγκῳ, rerum orbem mobilem rotat, dum se
24 immobilem ipsa conseruat. Quod si rationes quoque non extra petitas, sed intra rei quam tractabamus ambitum collocatas agitauimus, nihil est quod admirere, cum Platone sanciente didiceris cognatos de quibus loquuntur rebus oportere esse sermones.

METRVM XII

Notionem ueri boni amittit homo dum respicit terrena

Felix qui potuit boni fontem uisere lucidum,
felix qui potuit grauis terrae soluere uincula.
Quondam funera coniugis uates threicius gemens
postquam flebilibus modis siluas currere, mobiles
5 amnes stare coegerat, iunxitque intrepidum latus [10]
saeuis cerua leonibus; nec uisum timuit lepus
iam cantu placidum canem, cum flagrantior intima
feruor pectoris ureret; nec qui cuncta subegerant
mulcerent dominum modi, inmites superos querens
10 infernas adiit domos. Illic blanda sonantibus [20]
chordis carmina temperans quidquid praecipuis deae
matris fontibus hauserat, quod luctus dabat impotens,

§ 23 Πάντοθεν.... Sc. "simile moli globi undique rotundi." Mullach, *Fragm. Phil. Graec.* I, p. 124, inter reliquias Parmenidis, ll. 102–105:

> Αὐτὰρ ἐπὶ πείρας πύματον τετελεσμένον ἐστίν,
> πάντοθεν εὐκύκλου σφαίρης ἐναλίγκιον ὄγκῳ
> μεσσόθεν ἰσοπαλὲς πάντῃ· τὸ γὰρ οὔτε τι μεῖζον
> οὔτε τι βαιότερον πελέναι χρεόν ἐστι τῇ ἢ τῇ.

Citatur a Platone, *Soph.* 244 E.

§ 24 *Platone sanciente. Tim.* 29 B: ὡς ἄρα τοὺς λόγους ὧνπέρ εἰσιν ἐξηγηταὶ τούτων αὐτῶν καὶ συγγενεῖς ὄντας.

Metrum XII glyconium

$$\asymp - \mid - \cup\cup \mid - \cup\!\!\!\!\cup$$

Metrum XII totum e Sen. *Herc. Fur.* 570–595; cfr. *Herc. Oet.* 1035–1134; *Med.* 628–636.

2 Cfr. I, m. II, 25–27; Sap. IX, 15; Rom. VII, 24.

3–26 Fabula de Orpheo et Eurydice. Ouid. *Metam.* X, 1–85; *Georg.* IV, 454–456; Diodorus Siculus I, cap. 21, 92, 96; M. Capella, IX, 907–908 (Tb. 1866, p. 339); Seneca, *Herc. Fur.* 573–593.

12 *mater* Calliope. Verg. *Ecl.* IV, 54–55.

quod luctum geminans amor, deflet Taenara commouens
et dulci ueniam prece umbrarum dominos rogat.
Stupet tergeminus nouo captus carmine ianitor, [30]
quae sontes agitant metu ultrices scelerum deae
iam maestae lacrimis madent. Non Ixionium caput
uelox praecipitat rota, et longa site perditus
spernit flumina Tantalus. Vultur dum satur est modis,
non traxit Tityi iecur. Tandem 'Vincimur' arbiter [40]
umbrarum miserans ait, 'Donamus comitem uiro
emptam carmine coniugem. Sed lex dona coerceat,
ne, dum Tartara liquerit, fas sit lumina flectere.'
Quis legem det amantibus? maior lex amor est sibi.
Heu, noctis prope terminos Orpheus Eurydicen suam [50]
uidit, perdidit, occidit. Vos haec fabula respicit
quicumque in superum diem mentem ducere quaeritis.
Nam qui tartareum in specus uictus lumina flexerit,
quidquid praecipuum trahit perdit, dum uidet inferos.

---

18 *site*, Vall. *siti*.

---

13 Cfr. *Georg.* IV, 467: "Taenarias etiam fauces." Ταίναρον est promontorium meridionale Peloponnesi (nunc Matapan) ubi spelunca unde Hercules traxit Cerberum ex inferis; est ergo aditus Hadis. Sen. *Herc. Fur.* 666–667:

"Spartana tellus nobile attollit iugum
densis ubi aequor Taenarus siluis premit."

17 *Ixion* rex Lapitharum beneficiorum Iouis immemor fit amator Iunonis, quare dire cruciatur in rota. Tibullus, I, 3, 73–74:

"Illic Iunonem tentare Ixionis ausi
uersantur celeri noxia membra rota."

Diodorus Siculus, IV, 69; Luciani *dial. deor.* VI (Tb. 1888, I, 80–82, si legere uis); Ouid. *Metam.* IV, 460; Verg. *Georg.* IV, 484; *Aen.* VI, 601.

20 *Tityus* gigas qui conatur stuprum inferre Latonae (al. Dianae), quare iecur uoratur a duobus uulturibus. Hor. *Carm.* III, 4, 77–78; IV, 6, 2–3; Sen. *Herc. Fur.* 760: "Praebet uolucri Tityos aeternas dapes."

26 Cfr. Hor. *Sat.* I, 1, 68–72.

[V. IMPROBI NON SVNT FELICES]

PROSA I

Quamuis non appareat, tamen improbi puniuntur, boni praemio afficiuntur

Deus uidetur nec prauos punire nec iustos remunerari.

§ 1 HAEC cum Philosophia, dignitate uultus et oris grauitate seruata, leniter suauiterque cecinisset, tum ego nondum penitus insiti maeroris oblitus 2 intentionem dicere adhuc aliquid parantis abrupi. Et: O, inquam, ueri praeuia luminis quae usque adhuc tua fudit oratio, cum sui speculatione diuina tum tuis rationibus inuicta patuerunt, eaque mihi, etsi ob iniuriae dolorem nuper oblita, non tamen antehac prorsus 3 ignorata dixisti. Sed ea ipsa est uel maxima nostri causa maeroris, quod, cum rerum bonus rector exsistat, uel esse omnino mala possint, uel impunita praetereant; quod solum quanta dignum sit admiratione profecto

Virtus saepe poenas luit.

4 consideras. At huic aliud maius adiungitur. Nam imperante florenteque nequitia uirtus non solum praemiis caret, uerum etiam sceleratorum pedibus subiecta calcatur et in locum facinorum supplicia luit. Quae fieri in regno scientis omnia, potentis omnia, sed bona tantummodo uolentis dei, nemo satis potest nec admirari nec conqueri.

Non ita est re uera.

5 P. Tum illa: Et esset, inquit, infiniti stuporis omnibusque horribilius monstris, si, uti tu aestimas, in tanti uelut patrisfamilias dispositissima domo uilia uasa

---

Pr. I, 12 *profecto consideras*, Sitzm. *perfecte considera.* 16 *in locum*, Vall. *loco.*

Pr. I, § 2 *ueri praeuia luminis*. Augustus Hildebrand opinatur hoc uerum lumen esse theologiam, unde et ex hoc loco concludit Boethium ostendere animam christianam (op. cit. p. 142). Verum Iohannes Semeria notat haec uerba "non necessario dicere philosophiam esse scientiam propaedeuticam ad superiorem, scil. ad theologiam; posse intelligi simplicius, nempe eam conducere animam ad lumen ueritatis" (p. 103).

§ 5 *si uilia uasa colerentur*, etc. Cfr. Rom. IX, 21–23; II Tim. II, 20.

6 colerentur, pretiosa sordescerent. Sed non ita est. Nam
si ea quae paulo ante conclusa sunt inconuulsa seruantur,
ipso de cuius nunc regno loquimur auctore cognosces
semper quidem potentes esse bonos, malos uero abiectos
semper atque inbecillos; nec sine poena umquam esse
uitia, nec sine praemio uirtutes; bonis felicia, malis
semper infortunata contingere, multaque id genus quae
7 sopitis querelis firma te soliditate corroborent. Et quo-
niam uerae formam beatitudinis me dudum monstrante
uidisti, quo etiam sita sit agnouisti, decursis omnibus
quae praemittere necessarium puto, uiam tibi quae te
8 domum reuehat ostendam. Pennas etiam tuae menti
quibus se in altum tollere possit adfigam, ut perturba-
tione depulsa sospes in patriam meo ductu, mea semita,
meis etiam uehiculis reuertaris.

METRVM I

Philosophia duce mens adscendit ad ueram patriam

Sunt etenim pennae uolucres mihi
quae celsa conscendant poli.
Quas sibi cum uelox mens induit,
terras perosa despicit,
aeris inmensi superat globum,

34 *Pennas*, Pp. *Pinnas*. M. I, 1 *pennae*, Pp. *pinnae*.

§ 6 *bonis felicia, malis semper infortunata contingere.* Sententia quae multum placet Platoni. E.gr. *Reipubl.* I (354 A): Ὁ μὲν δίκαιος ἄρα εὐδαίμων, ὁ δ' ἄδικος ἄθλιος. Cfr. *Gorg.* 469 B; 472 D; 473 A; et alibi saepe.

§ 7 *uiam...ostendam.* Sic Dantes, *Inf.* XV, 54: "e riducemi a ca per questo calle."

Metrum I: tetrameter dactylicus alcmanius cum dimetro iambico:

– ⏑⏑ | – ⏑⏑ | – ‖ ⏑⏑ | – ⏑⏑
⏑ – | ⏑ – | ⏑ – | ⏑̲

Multa hic desumpta e *Somnio Scipionis*; cfr. praesertim astronomiam cap. 17, et Macrobium in *Somn. Scip.* I, c. 17, §§ 10–11, citato Plotino (ed. Tb. pp. 553–554). Cfr. etiam M. Capellam, II, 98 (Tb. 1866, p. 27).

1–2 *Par.* XV, 53–54:

"mercè di colei
ch' all' alto volo ti vestì le piume."

Similiter *Par.* XXV, 49–50.

nubesque postergum uidet,
quique agili motu calet aetheris,
transcendit ignis uerticem,
donec in astriferas surgat domos
Phoeboque coniungat uias,
aut comitetur iter gelidi senis
miles corusci sideris;
uel quocumque micans nox pingitur,
recurrat astri circulum,
atque ubi iam exhausti fuerit satis,
polum relinquat extimum
dorsaque uelocis premat aetheris
compos uerendi luminis.
Hic regum sceptrum dominus tenet,
orbisque habenas temperat,
et uolucrem currum stabilis regit
rerum coruscus arbiter.
Huc te si reducem referat uia,
quam nunc requiris immemor:
Haec, dices, memini, patria est mihi,
hinc ortus, hic sistam gradum.
Quod si terrarum placeat tibi
noctem relictam uisere,
quos miseri toruos populi timent
cernes tyrannos exsules.

11 *gelidus senex* est planeta Saturnus. *Georg.* I, 336: "frigida Saturni stella."

12 *miles corusci sideris* est "rutilus horribilisque terris quem Martium dicitis," nisi forte sit "salutaris ille fulgor qui dicitur Iouis" (*Somn. Scip.* 17).

15 Cfr. eadem uerba hic IV, pr. VI, § 2.

21–22 Citat *Phaedrum*, XXVI (246 E): Ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεὺς ἐλαύνων πτηνὸν ἅρμα πρῶτος πορεύεται διακοσμῶν πάντα καὶ ἐπιμελούμενος.

25 Ita Anaxagoras: Ἐμοὶ γὰρ καὶ σφόδρα μέλει τῆς πατρίδος, δείξας τὸν οὐρανόν (Diog. Laert. II, cap. III, 2). Τὸν κόσμον esse nobis patriam fit postea dogma praesertim Stoicorum. Epict. *Diatr.* III, c. XXII, 4; III, c. XXIV, 15; 66; M. Aur. IV, 23.

PROSA II

Probi sunt potentes, impotentes improbi

Impotentia prauorum e potentia sequitur bonorum.

§ 1 Tum ego: Papae, inquam, ut magna promittis. Nec dubito quin possis efficere; tu modo quem excitaueris
2 ne moreris. P. Primum igitur, inquit, bonis semper adesse potentiam, malos cunctis uiribus esse desertos agnoscas licebit, quorum quidem alterum demonstratur
3 ex altero. Nam cum bonum malumque contraria sint, si bonum potens esse constiterit, liquet imbecillitas mali; at si fragilitas clarescat mali, boni firmitas nota est. Sed uti nostrae sententiae fides abundantior sit, alterutro calle procedam, nunc hinc nunc inde proposita confirmans.

De uoluntate et potestate.

4 Duo sunt quibus omnis humanorum actuum constat effectus, uoluntas scilicet ac potestas, quorum si alterutrum desit, nihil est quod explicari queat. Deficiente etenim uoluntate ne aggreditur quidem quisque quod
5 non uult; at si potestas absit, uoluntas frustra sit. Quo fit ut si quem uideas adipisci uelle quod minime adipiscatur, huic obtinendi quod uoluerit defuisse ualentiam dubitare non possis. B. Perspicuum est, inquam;
6 nec ullo modo negari potest. P. Quem uero effecisse quod uoluerit uideas, num etiam potuisse dubitabis? B. Minime. P. Quod uero quisque potest, in eo ualidus, quod uero non potest, in hoc imbecillis esse censendus
7 est. B. Fateor, inquam. P. Meministine igitur, inquit, superioribus rationibus esse collectum intentionem omnem uoluntatis humanae quae diuersis studiis agitur ad beatitudinem festinare? B. Memini, inquam, illud
8 quoque esse demonstratum. P. Num recordaris beatitudinem ipsum esse bonum, eoque modo cum beatitudo petitur ab omnibus desiderari bonum? B. Minime, inquam, recordor; quoniam id memoriae fixum teneo.

Pr. II, 27 *illud*, Vall. *id.*

Prosae II, III fere paraphrasis *Gorgiae.*
§ 2 *bonis semper adesse potentiam*, etc. Cfr. *Gorg.* 506 D; 510 C.

Mali frustra sectantur bonum.

9 P. Omnes igitur homines, boni pariter ac mali, indiscreta intentione ad bonum peruenire nituntur? B. Ita, inquam, consequens est. P. Sed certum est adeptione 10 boni bonos fieri. B. Certum. P. Adipiscuntur igitur boni quod appetunt? B. Sic uidetur. P. Mali uero si adipiscerentur quod appetunt bonum, mali esse non 11 possent. B. Ita est. P. Cum igitur utrique bonum petant, sed hi quidem adipiscantur, illi uero minime; num dubium est bonos quidem potentes esse, qui uero mali sunt imbecillos? B. Quisquis, inquam, dubitat, nec rerum naturam nec consequentiam potest considerare

Ergo sunt imbecilles.

12 rationum. P. Rursus, inquit, si duo sint quibus idem secundum naturam propositum sit, eorumque unus naturali officio id ipsum agat atque perficiat, alter uero naturale illud officium minime administrare queat, alio uero modo quam naturae conuenit non quidem impleat propositum suum, sed imitetur implentem; quemnam horum ualentiorem esse decernis? B. Etsi coniecto, inquam, quid uelis, planius tamen audire desidero. 13 P. Ambulandi, inquit, motum secundum naturam esse hominibus num negabis? B. Minime, inquam. P. Eiusque rei pedum officium esse naturale num dubitas? 14 B. Ne hoc quidem, inquam. P. Si quis igitur pedibus incedere ualens ambulet, aliusque cui hoc naturale pedum desit officium, manibus nitens ambulare conetur, quis horum iure ualentior existimari potest? B. Contexe, inquam, cetera; nam quin naturalis officii potens 15 eo qui idem nequeat ualentior sit, nullus ambigat. P. Sed summum bonum, quod aeque malis bonisque propositum, boni quidem naturali officio uirtutum petunt, mali uero uariam per cupiditatem, quod adipiscendi

35 *certum*, Ob. *certum est.* 59 *ambigat*, Vall. *ambigit.*
60 *propositum*, Ob. *propositum est.*

§ 9 *omnes ad bonum peruenire nituntur.* Sic communiter philosophi; *c. Gent.* III, 3; *S. theol.* II–II, q. XXXIV, art. 5. Pulchre diuinus poeta, *Purg.* XVII, 127–129:

"Ciascun confusamente un bene apprende,
nel qual si cheti l' animo, e disira;
per che di giugner lui ciascun contende."

§ 11 *bonos quidem potentes esse*, etc. *Gorg.* 468 E; 469 B, E.

boni naturale officium non est, idem ipsum conantur
16 adipisci. An tu aliter existimas? B. Minime, inquam;
nam etiam quod est consequens patet. Ex his enim
quae concesserim, bonos quidem potentes, malos uero
17 esse necesse est imbecillos. P. Recte, inquit, praecurris,
idque, uti medici sperare solent, indicium est erectae
iam resistentisque naturae. Sed quoniam te ad intelle-
gendum promptissimum esse conspicio, crebras coacer-
uabo rationes.

18 Vide enim quanta uitiosorum hominum pateat in- *Infirmitas prauorum.*
firmitas, qui ne ad hoc quidem peruenire queunt ad
quod eos naturalis ducit ac paene compellit intentio. Et
quid, si hoc tam magno ac paene inuicto praeeuntis
naturae desererentur auxilio? Considera uero quanta
19 sceleratos homines habeat inpotentia. Neque enim leuia
aut ludicra praemia petunt, quae consequi atque ob-
tinere non possunt, sed circa ipsam rerum summam
uerticemque deficiunt, nec in eo miseris contingit
effectus quod solum dies noctesque moliuntur; in qua
20 re bonorum uires eminent. Sicut enim eum qui pedibus
incedens ad eum locum usque peruenire potuisset, quo
nihil ulterius peruium iaceret incessui, ambulandi poten-
tissimum esse censeres; ita eum qui expetendorum
finem quo nihil ultra est apprehendit, potentissimum
necesse est iudices. Ex quo fit quod huic obiacet, ut
idem scelesti, idem uiribus omnibus uideantur esse de-
21 serti. Cur enim relicta uirtute uitia sectantur? Insci- *Aut sciunt bonum aut nesciunt.*
tiane bonorum? Sed quid eneruatius ignorantiae caeci-
tate? An sectanda nouerunt, sed transuersos eos libido
praecipitat? Sic quoque intemperantia fragiles qui
22 obluctari uitio nequeunt. An scientes uolentesque
bonum deserunt, ad uitia deflectunt? Sed hoc modo non
23 solum potentes esse, sed omnino esse desinunt. Nam
qui communem omnium quae sunt finem relinquunt,

88 *idem uiribus*, Ob. om. *idem*. 94 *deflectunt*, Vall. *deflectuntur*.

§ 19 *Aen.* XII, 764: "neque enim leuia aut ludicra petuntur."
§ 21 *obluctari uitio*. Augustinus, *Ciu. Dei*, II, 5: "flagitiosissimae consuetudinis uitiis oblectari magis quam obluctari student."

Mali proprie neque exsistunt.

pariter quoque esse desistunt. Quod quidem cuipiam mirum forte uideatur, ut malos, qui plures hominum sunt, eosdem non esse dicamus; sed ita sese res habet.
24 Nam qui mali sunt eos malos esse non abnuo; sed eosdem esse pure atque simpliciter nego. Nam uti cadauer hominem mortuum dixeris, simpliciter uero hominem appellare non possis, ita uitiosos malos quidem esse
25 concesserim, sed esse absolute nequeam confiteri. Est enim quod ordinem retinet seruatque naturam; quod uero ab hac deficit, esse etiam quod in sua natura situm est derelinquit.

Potentia eorum est imbecillitas.

26 Sed possunt, inquies, mali. Ne ego quidem negauerim; sed haec eorum potentia non a uiribus sed ab imbecillitate descendit. Possunt enim mala quae minime ualerent, si in bonorum efficientia manere potuissent.
27 Quae possibilitas eos euidentius nihil posse demonstrat. Nam si, uti paulo ante collegimus, malum nihil est, cum mala tantummodo possint, nihil posse improbos liquet.
28 B. Perspicuum est. P. Atque ut intellegas quaenam sit huius potentiae uis, summo bono nihil potentius esse paulo ante definiuimus. B. Ita est, inquam. P. Sed
29 idem, inquit, facere malum nequit. B. Minime. P. Est igitur, inquit, aliquis qui omnia posse homines putet? B. Nisi quis insaniat, nemo. P. Atqui idem possunt
30 mala. B. Vtinam quidem, inquam, non possent. P. Cum igitur bonorum tantummodo potens possit omnia, non uero queant omnia potentes etiam malorum, eosdem qui mala possunt minus posse manifestum est.

Posse malum est impotentia.

31 Huc accedit quod omnem potentiam inter expetenda numerandam, omniaque expetenda referri ad bonum uelut ad quoddam naturae suae cacumen ostendimus.
32 Sed patrandi sceleris possibilitas referri ad bonum non potest; expetenda igitur non est. Atqui omnis potentia expetenda est; liquet igitur malorum possibilitatem non
33 esse potentiam. Ex quibus omnibus bonorum quidem potentia, malorum uero minime dubitabilis apparet infirmitas, ueramque illam Platonis esse sententiam liquet,

§ 33 *Platonis sententiam* inuenies praesertim in *Gorg.* 507 C; *Alcibiad.* I, 124 E, et seq., ubi fere omnia quae hic refert Boethius.

solos quod desiderent facere posse sapientes, improbos uero exercere quidem quod libeat, quod uero desiderent explere non posse. Faciunt enim quaelibet, dum per ea quibus delectantur id bonum quod desiderant se adepturos putant; sed minime adipiscuntur, quoniam ad beatitudinem probra non ueniunt.

METRVM II

Tyranni re uera impotentes

Quos uides sedere celsos solii culmine reges
purpura claros nitente, saeptos tristibus armis,
ore toruo comminantes, rabie cordis anhelos,
detrahat si quis superbis uani tegmina cultus,
iam uidebit intus artas dominos ferre catenas. [10]
Hinc enim libido uersat auidis corda uenenis,
hinc flagellat ira mentem fluctus turbida tollens
maeror aut captus fatigat, aut spes lubrica torquet.
Ergo cum caput tot unum cernas ferre tyrannos,
non facit quod optat ipse dominis pressus iniquis. [20]

M. II, 8 *captus* Pp. Eng. (p. 44); Ob. *captos*.

---

§ 34 *Gorg.* 468 E, et passim ibi. Saluianus *de Gubernatione Dei*, I, 2: "Soleant quamuis esse nonnulli qui turpia atque obscaena sectantes, etsi iuxta opinionem suam beati sunt quia adipiscuntur quod uolunt re tamen ipsa beati non sunt quia quod uolunt nolle debuerant. Religiosi autem hoc cunctis beatiores sunt quia et habent quod uolunt et meliora quàm quae habent omnino habere non possunt" (P.L. LIII, 32 A–B).

Metrum II: uicissim dimetri trochaici et pherecrati (proprium Boethio):

– ⏑ | – ⏑ | – ⏑ | – ⏑ ‿ – | – ⏑⏑ | – ‿

5 *artas dominos ferre catenas*. Cfr. Ioh. VIII, 34.

8 *captus*, acc. pl. nominis.

10 *dominis pressus iniquis*. Sic Iulianus Aug. *de Caes.* cap. XXV, ubi Silenus Alexandro Magno: Ἡττηθεὶς σεαυτοῦ πολλάκις, ὀργῆς, ἢ λύπης, ἤ τινος τοιούτου, τὸν νοῦν καὶ τὰς φρένας ἧττω καὶ χείρω ποιήσας (ed. F. C. Hertlein, Tb. 1875, I, pp. 423–424).

PROSA III

Probi dii sunt, improbi bestiae

Nunquam desunt praemia bonis, prauis supplicia.

§ 1 Videsne igitur quanto in caeno probra uoluantur, qua probitas luce resplendeat? In quo perspicuum est nunquam bonis praemia, nunquam sua sceleribus deesse 2 supplicia. Rerum etenim quae geruntur illud propter quod unaquaeque res geritur, eiusdem rei praemium esse non iniuria uideri potest; uti currendi in stadio 3 propter quam curritur iacet praemium corona. Sed beatitudinem esse idem ipsum bonum propter quod omnia geruntur ostendimus. Est igitur humanis actibus ipsum bonum ueluti praemium commune propositum. 4 Atqui hoc a bonis non potest separari, neque enim bonus ultra iure uocabitur qui careat bono; quare probos mores sua praemia non relinquunt. Quantumlibet igitur saeuiant mali, sapienti tamen corona non decidet, non arescet. Neque enim probis animis proprium decus 5 aliena decerpit improbitas. Quod si extrinsecus accepto laetaretur, poterat hoc uel alius quispiam, uel ipse etiam qui contulisset auferre; sed quoniam id sua cuique probitas confert, tum suo praemio carebit, cum probus esse desierit.

Praemium proborum ipsa probitas.

6 Postremo cum omne praemium idcirco appetatur, quoniam bonum esse creditur, quis boni compotem praemii iudicet expertem? At cuius praemii? Omnium 7 pulcherrimi maximique. Memento etenim corollarii illius quod paulo ante praecipuum dedi, ac sic collige: Cum ipsum bonum beatitudo sit, bonos omnes eo ipso quod boni sint fieri beatos liquet. Sed qui beati sint deos esse conuenit. Est igitur praemium bonorum quod nullus deterat dies, nullius minuat potestas, nullius 8 fuscet improbitas, deos fieri. Quae cum ita sint, de

Boni fiunt dii.

Poena prauorum.

Pr. III, § 4 *non bonus qui careat bono. Gorgias*, c. LXII, 506 D: Ἀγαθὸν δέ, οὗ πάροντος ἀγαθοί ἐσμεν, κ.τ.λ. Cic. *Tusc. Disput.* V, 10, §§ 28–29: "Quos dicam bonos perspicuum est; omnibus enim uirtutibus instructos et ornatos tum sapientes tum uiros bonos dicimus. Videamus qui dicendi sint beati. Equidem eos existimo qui sint in bonis, nullo adiuncto malo."

§ 7 *corollarii illius*, sc. πόρισμα, supra III, pr. X, §§ 18–19 (p. 88).

malorum quoque inseparabili poena dubitare sapiens nequeat. Nam cum bonum malumque, item poenae atque praemium, aduersa fronte dissideant, quae in boni praemio uidemus accedere, eadem necesse est in mali poena contraria parte respondeant. Sicut igitur probis probitas ipsa fit praemium, ita improbis nequitia ipsa
9 supplicium est. Iam uero quisquis afficitur poena, malo se affectum esse non dubitat. Si igitur sese ipsi aestimare uelint, possuntne sibi supplicii expertes uideri, quos omnium malorum extrema nequitia non affecit modo, uerum etiam uehementer infecit?

Praui non homines sed bestiae.

10 Vide autem ex aduersa parte bonorum, quae improbos poena comitetur. Omne namque quod sit unum esse, ipsumque unum bonum esse, paulo ante didicisti; cui consequens est ut omne quod sit, id etiam bonum esse
11 uideatur. Hoc igitur modo quidquid a bono deficit esse desistit. Quo fit ut mali desinant esse quod fuerant; sed fuisse homines adhuc ipsa humani corporis reliqua species ostentat. Quare uersi in malitiam humanam
12 quoque amisere naturam. Sed cum ultra homines quemque prouehere sola probitas possit, necesse est ut quos ab humana condicione deiecit, infra hominis meritum detrudat improbitas. Euenit igitur ut quem transformatum uitiis uideas hominem aestimare non possis.

---

38 *aestimare*, Ob. *aestimari*. 40 *affecit*...*infecit*, Vall. Ob. *adficit*...*inficit*.

---

§ 8 *probis probitas ipsa praemium, improbis nequitia supplicium.* Ita saepissime et philosophi et doctores eccl. Erat dogma Cynicorum; cfr. Diog. Laert. VI, 1 (Antisthenes), § 11: *αὐτάρκη τὴν ἀρετὴν πρὸς εὐδαιμονίαν, κ.τ.λ.* Sic et Stoici; Marcus Aur. VII, 73: *Ὅταν σὺ εὖ πεποιηκὼς ᾖς καὶ ἄλλος εὖ πεπονθώς, τί ἐπιζητεῖς τρίτον παρὰ ταῦτα, κ.τ.λ.* XI, 4: *Πεποίηκά τι κοινωνικῶς· οὐκοῦν ὠφέλημαι.* Cfr. V, 6; IX, 42. Simili modo Cicero *pro Milone*, XXIII, 61 (in fine). S. Ambrosius *de Offic.* I, c. 12, § 46: "Ergo impius ipse sibi poena est, iustus autem ipse sibi gratia, et utrique aut bonorum aut malorum operum merces ex se ipso soluitur." Brun. Lat. *Tresor*, II, p. II, c. 48: "Boeces dit: Nulz vices n'est sanz poine, ne nule vertus sanz loier" (Chabaille, p. 339). *Inf.* XIV, 65–66:

> "Nullo martirio fuor che la tua rabbia
> sarebbe al tuo furor dolor compito."

13 Auaritia feruet alienarum opum uiolentus ereptor? Lupi similem dixeris. Ferox atque inquies linguam litigiis exercet? Cani comparabis. Insidiator occultus subripuisse fraudibus gaudet? Vulpeculis exaequetur. Irae intemperans fremit? Leonis animum gestare credatur.
14 Pauidus ac fugax non metuenda formidat? Ceruis similis habeatur. Segnis ac stupidus torpit? Asinum uiuit. Leuis atque inconstans studia permutat? Nihil auibus differt. Foedis inmundisque libidinibus immer-
15 gitur? Sordidae suis uoluptate detinetur. Ita fit ut qui, probitate deserta, homo esse desierit, cum in diuinam condicionem transire non possit, uertatur in beluam.

METRVM III

Praui mores peiores Circes maleficio

Vela neritii ducis et uagas pelago rates
eurus appulit insulae, pulchra qua residens dea
solis edita semine miscet hospitibus nouis
tacta carmine pocula. Quos ut in uarios modos
5 uertit herbipotens manus, hunc apri facies tegit, [10]
ille marmaricus leo dente crescit et unguibus.

---

57 *occultus*, Vall. *occultis*. 63 *auibus*, Vall. *ab auibus*.

---

§§ 13–15 *praui fiunt bestiae.* Cfr. Ps. XXXI, 9; XLVIII, 13. *Purg.* XIV, 40–54.

§ 14 *asinum uiuit. Conv.* II, c. 8, ll. 26–27: "Siccome dice quello eccellentissimo Boezio: Asino vive."

Metrum III glyconium, sed cum basi trochaica (sic Sen. *Oed.* 903–935):

– ∪ | – ∪ ∪ | – ∪ ⏑

Fabula de Vlixe et Circe. Cfr. *Odyss.* X, 135–574; *Metam.* XIV, 241–307; Diod. Sic. IV, c. 45.

1 *Neritius dux* Vlixes. Νήριτος mons Ithacae, hinc Neritius = Ithacus. Ouidi *Fast.* IV, 69: "dux quoque neritius"; *Trist.* I, 5, ll. 57–58; *Metam.* XIV, 563: "neritia ratis."

2 *insula*, Αἰα, al. Αἰαίη, insula Circes. *Aen.* III, 386: "aeaeaeque insula Circae"; cfr. VII, 10.

3 *solis edita semine.* Circe filia solis et nymphae Persae. *Aen.* VII, 11: "solis filia"; *Metam.* XIV: "sole satae Circes"; 33: "filia solis."

4 *tacta carmine pocula. Ecl.* VIII, 70: "carminibus Circe socios mutauit Vlixi"; cfr. *Aen.* VII, 19–20.

6 *marmaricus leo.* Marmarica (μαρμαρική) regio inter Aegyptum et Cyrenaicam. Incolae Marmaridae; Luc. *Phars.* III, 292–293:

Hic lupis nuper additus, flere dum parat, ululat.
Ille tigris ut indica tecta mitis obambulat.
Sed licet uariis malis numen arcadis alitis
obsitum miserans ducem peste soluerit hospitis, [20]
iam tamen mala remiges ore pocula traxerant,
iam sues cerealia glande pabula uerterant,
et nihil manet integrum uoce, corpore perditis.
Sola mens stabilis super monstra quae patitur gemit.
O leuem nimium manum nec potentia gramina; [30]
membra quae ualeant licet, corda uertere non ualent.
Intus est hominum uigor arce conditus abdita.
Haec uenena potentius detrahunt hominem sibi
dira quae penitus meant, nec nocentia corpori
mentis ulcere saeuiunt.

PROSA IV

Quo potentior prauus eo infelicior

Qui malum agit eo ipse infelicior.

§ 1 Tum ego: Fateor, inquam, nec iniuria dici uideo uitiosos, tametsi humani corporis speciem seruent, in beluas tamen animorum qualitate mutari; sed quorum atrox sceleratoque mens bonorum pernicie saeuit, id ipsum
2 eis licere noluissem. P. Nec licet, inquit, uti conuenienti monstrabitur loco. Sed tamen si id ipsum quod eis licere creditur auferatur, magna ex parte sceleratorum homi-
3 num poena releuetur. Etenim, quod incredibile cuiquam forte uideatur, infeliciores esse necesse est malos, cum cupita perfecerint, quam si ea quae cupiunt implere

M. III, 7 *nuper* Ob. Eng. (p. 58); Vall. Pp. *super*. 20 Vall. et Pp. *ulcere*; Ob. *uulnere*. Pr. IV, 8 *releuetur*, Ob. *releuatur*.

"Non corniger Hammon
mittere Marmaridas cessauit in arma cateruas."
(Sen.) *Herc. Oet.* 1061: "sedit marmaricus leo"; cfr. *Agam.* 776.

7 *nŭper*, mendum auctoris. Editores emendant (super).

9 *arcas ales* Mercurius, *Aen.* VIII, 129–138. Ille dedit Vlixi herbam qua liberatus a poculis Circes, *Metam.* XIV, 294–296.

Pr. IV, § 2 *conuenienti loco*, sc. infra, IV, pr. VI.

§ 3 *infeliciores mali cum cupita perfecerint*. Cicero in *Hortensio* (cit. ab Aug. *de Trin.* XIII, 5, 8): "Velle enim quod non deceat, id ipsum miserrimum est, nec tam miserum est non adipisci quod uelis, quam adipisci uelle quod non oporteat" (ed.

4 non possint. Nam si miserum est uoluisse praua, potuisse miserius est, sine quo uoluntatis miserae langueret effectus. Itaque cum sua singulis miseria sit, triplici infortunio necesse est urgeantur quos uideas scelus 5 uelle, posse, perficere. B. Accedo, inquam; sed uti hoc infortunio cito careant patrandi sceleris possibilitate deserti uehementer exopto. P. Carebunt, inquit, ocius quam uel tu forsitan uelis, uel illi sese aestiment esse 6 carituros. Neque enim est aliquid in tam breuibus uitae metis ita serum, quod exspectare longum immortalis praesertim animus putet; quorum magna spes et excelsa facinorum machina repentino atque insperato saepe fine destruitur, quod quidem illis miseriae modum

Diuturna potestas prauorum auget eorum infortunium.

7 statuit. Nam si nequitia miseros facit, miserior sit necesse est diuturnior nequam; quos infelicissimos esse iudicarem, si non eorum malitiam saltem mors extrema finiret. Etenim si de prauitatis infortunio uera conclusimus, infinitam liquet esse miseriam quam esse 8 constat aeternam. B. Tum ego: Mira quidem, inquam, et concessu difficilis inlatio; sed his eam quae prius concessa sunt nimium conuenire cognosco. P. Recte,

Concessis praemissis necessaria conclusio.

9 inquit, aestimas. Sed qui conclusioni accedere durum putat, aequum est uel falsum aliquid praecessisse demonstret, uel collocationem propositionum non esse efficacem necessariae conclusionis ostendat; alioquin concessis praecedentibus nihil prorsus est quod de in-
10 latione causetur. Nam hoc quoque quod dicam non minus mirum uideatur, sed ex his quae sumpta sunt
11 aeque est necessarium. B. Quidnam? inquam. P. Feliciores, inquit, esse improbos supplicia luentes, quam si eos nulla iustitiae poena coerceat. Neque id nunc molior quod cuiuis ueniat in mentem, corrigi ultione prauos mores et ad rectum supplicii terrore deduci,

30 *eam*, Ob. *ea*.

Teubner, Cic. P. IV, uol. III, p. 317; an. 1879). M. Aur. IV, 26: ἁμαρτάνει τις; ἑαυτῷ ἁμαρτάνει. IX, 4: Ὁ ἁμαρτάνων ἑαυτῷ ἀμαρτάνει· ὁ ἀδικῶν ἑαυτὸν ἀδικεῖ, ἑαυτὸν κακὸν ποιῶν. Cfr. IV, 38.

ceteris quoque exemplum esse culpanda fugiendi; sed alio quodam modo infeliciores esse improbos arbitror impunitos, tametsi nulla ratio correctionis, nullus respectus habeatur exempli. B. Et quis erit, inquam, praeter hos alius modus?

12 P. Et illa: Bonos, inquit, esse felices, malos uero miseros nonne concessimus? B. Ita est, inquam. P. Si igitur, inquit, miseriae cuiuspiam bonum aliquid addatur, nonne felicior est eo cuius pura ac solitaria, sine cuiusquam boni admixtione, miseria est? B. Sic, in-
13 quam, uidetur. P. Quid si eidem misero, qui cunctis careat bonis, praeter ea quibus miser est malum aliud fuerit adnexum, nonne multo infelicior eo censendus est cuius infortunium boni participatione releuatur? B.
14 Quidni? inquam. P. Sed puniri improbos iustum, impunitos uero elabi iniquum esse manifestum est? B. Quis id neget? P. Sed ne illud quidem, ait, quisquam negabit bonum esse omne quod iustum est, contraque quod iniustum est malum. B. Liquere respondi.
15 P. Habent igitur improbi, cum puniuntur, quidem boni aliquid adnexum, poenam ipsam scilicet, quae ratione iustitiae bona est; idemque cum supplicio carent, inest eis aliquid ulterius mali ipsa impunitas quam iniquitatis merito malum esse confessus es. B. Negare non
16 possum. P. Multo igitur infeliciores improbi sunt, iniusta impunitate donati, quam iusta ultione puniti.

Felicior improbus qui poenam luit.

58–62 *Sed puniri...Liquere respondi* Eng. (p. 52) hic inserit. Sitzm. Vall. Pp. Ob. omnes uet. ed. haec ponunt infra, post "iusta ultione puniti" (l. 69). Vide argum. Engelbrecht, l.c. 62 *B. liquere*, Ob. *esse liquet. Respondi* Ob. om.; Sitzm. *B. Liquere respondi. Tum ego.*

---

§ 15 *Habent improbi cum puniuntur aliquid boni.* Sic Aquinas, *S. theol.* I, q. XLVIII, art. 6. *Inf.* III, 124–126:
(damnati) "e pronti sono a trapassar lo rio,
chè la divina giustizia gli sprona
sì che la tema si volge in disìo"
(cfr. Murari, p. 379).

§ 16 *infeliciores improbi non puniti.* Plato in *Gorgia*, XXVIII (472 E): Κατὰ δέ γε τὴν ἐμὴν δόξαν, ὦ Πῶλε, ὁ ἀδικῶν τε καὶ ὁ ἄδικος

B. Tum ego: Ista quidem consequentia sunt eis quae
17 paulo ante conclusa sunt. Sed quaeso, inquam, te, nullane animarum supplicia post defunctum morte corpus relinquis? P. Et magna quidem, inquit; quorum alia poenali acerbitate, alia uero purgatoria clementia exerceri puto. Sed nunc de his disserere consilium non est.

Impuniti grauiora patiuntur.

18 Id uero hactenus egimus, ut quae indignissima tibi uidebatur malorum potestas, eam nullam esse cognosceres, quosque impunitos querebare, uideres numquam improbitatis suae carere suppliciis; licentiam quam cito

πάντως μὲν ἄθλιος, ἀθλιώτερος μέντοι, ἐὰν μὴ διδῷ δίκην μηδὲ τυγχάνῃ τιμωρίας ἀδικῶν, ἧττον δ' ἄθλιος ἐὰν διδῷ δίκην καὶ τυγχάνῃ δίκης ὑπὸ θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων. Idem Augustinus, *Ciu. Dei*, XII, c. 3: "etiam hoc ibi bonum est quod impunita (natura uitiosa) non est," etc.

§ 17 *purgatoria clementia.* Celeber locus unde multi deducunt Christianismum Boethi, quatenus loquatur de catholico dogmate, distinguat purgatorium ab inferno (cfr. Hildebrand, op. cit. pp. 120–124).

Verum et pagani ratione ducti intellegebant necessitatem poenae purgatoriae, si Deus iustus. Simile quid inuenies iam apud Pythagoraeos (Hierocles *de Prouid.* III, 10, ed. Needham, p. 278; *in aur. carm.* 70, ib. p. 229). Cfr. et Platonis *Phaedonem*, LXII, 113 D: *Ἐπὶ τούτων ἀφικνοῦνται εἰς τὴν λίμνην* (sc. ad Acherontem), *κἀκεῖ οἰκοῦσί τε καὶ καθαιρόμενοι τῶν τ' ἀδικημάτων διδόντες δίκας ἀπολύονται εἴ τίς τι ἠδίκηκε, τῶν τ' εὐεργεσιῶν τιμὰς φέρονται κατὰ τὴν ἀξίαν ἕκαστος· οἳ δ' ἂν δόξωσιν ἀνιάτως ἔχειν διὰ τὰ μεγέθη τῶν ἁμαρτημάτων...τούτους δ' ἡ προσήκουσα μοῖρα ῥίπτει εἰς τὸν τάρταρον, ὅθεν οὔποτ' ἐκβαίνουσιν.* Id. *Phaedon.* LXIII, 114 D; *Gorg.* LXXXI, 525 B; LXXXII, 527 A. *Aen.* VI, 739–751. Macrobius *in Somn. Scip.* lib. II, c. XVII, 13. Porphyrius cit. ab Aug. *Ciu. Dei*, X, cap. 9, 23, 24, 26, 32. Sili Ital. *Punic.* XIII, 556–559; XV, 75–78. Sen. *ad Marciam, de Consol.* XXV: "dum expurgatur," etc. Thomas Hodgkin, alioqui egregius historiae scriptor, sat inepte ducit theologos posteriores ex hoc loco boethiano haurire dogma de purgatorio (*Italy and her Invaders*, ed. II, 1896, tom. III, p. 561). Quod attinet purgatorium platonicum, iuuabit legisse quae ait Zeller, *Phil. der Griech.* (1875), II [1], pp. 694–696; III [2], p. 862.

nunc de his, etc. Hinc nonnullis uidetur auctor in animo habere ut alterum componat postea opus, supplementum, quo tractet res theologicas. Verum uix ea sententia ex hoc loco, aut e similibus (e.gr. I, pr. V, § 9; IV, pr. I, § 2; V, pr. I, § 1) deduci potest. Cfr. Petrum Bertium in praefatione, Semeria, op. cit. p. 63, Hildebrand, p. 123.

finiri precabaris nec longam esse disceres, infeliciorem-
que fore si diuturnior, infelicissimam uero si esset
aeterna; post haec miseriores esse improbos iniusta im-
19 punitate dimissos quam iusta ultione punitos. Cui sen-
tentiae consequens est ut tum demum grauioribus sup-
pliciis urgeantur, cum impuniti esse creduntur. B. Tum
ego: Cum tuas, inquam, rationes considero, nihil dici
20 uerius puto. At si ad hominum iudicia reuertar, quis
ille est cui haec non credenda modo, sed saltem au-
21 dienda uideantur? P. Ita est, inquit illa. Nequeunt
enim oculos tenebris assuetos ad lucem perspicuae
ueritatis attollere, similesque auibus sunt, quarum in-
tuitum nox inluminat, dies caecat. Dum enim non
rerum ordinem, sed suos intuentur affectus, uel licen-
tiam uel impunitatem scelerum putant esse felicem.
22 Vide autem quid aeterna lex sanciat. Melioribus
animum conformaueris, nihil opus est iudice praemium
deferente; tu te ipse excellentioribus addidisti. Studium
ad peiora deflexeris, extra ne quaesieris ultorem; tu te
ipse in deteriora trusisti, ueluti si uicibus sordidam
humum caelumque respicias, cunctis extra cessantibus,
ipsa cernendi ratione nunc caeno nunc sideribus inter-
23 esse uidearis. At uulgus ista non respicit. Quid igitur?
Hisne accedamus quos beluis similes esse monstra-
uimus? Quid si quis amisso penitus uisu ipsum etiam
se habuisse obliuisceretur intuitum, nihilque sibi ad
humanam perfectionem deesse arbitraretur; num ui-

Iudicium uulgi inane.

Ipsa bonitas est praemium, prauitas ipsa poena.

89 *saltem audienda*, Vall. *saltem non audienda*.

§ 21 *similes auibus*. Ouidius de uespertilionibus, *Metam.* IV, 414–415.

§ 22 *nihil opus est iudice*. Hier. *in aur. carm.* 40–44: Ταῦτα ὁ νομοθέτης νοῦς διαθεσμοθετεῖ ταῖς ψυχαῖς· ὁ δὲ ὑποδεξάμενος αὐτὰ λογισμὸς δικαστὴς ἄγρυπνος ἑαυτοῦ γίνεται (ed. Needham, pp. 154–156). Iterum: καὶ δικαστὴν ἐπέστησε (sc. Deus) τὸν δικαιότατον ἅμα καὶ οἰκειότατον, τὸ συνειδὸς αὐτὸ καὶ τὸν ὀρθὸν λόγον, καὶ αὐτὸν ἑαυτῷ (ib. p. 158). Epictetus, *Diss.* I, c. 29, 4: Τοῦτον τὸν νόμον ὁ θεὸς τέθεικεν καὶ φησίν· εἴ τι ἀγαθὸν θέλεις παρὰ σεαυτοῦ λάβε.
Iuu. *Sat.* XIII, 1–4.

dentes eadem caeco putaremus? Nam ne illud quidem adquiescent quod aeque ualidis rationum nititur firmamentis: infeliciores eos esse qui faciant quam qui patiantur iniuriam. B. Vellem, inquam, has ipsas audire rationes.

Bonum est improbo puniri.

P. Omnem, inquit, improbum num supplicio dignum negas? B. Minime. P. Infelices uero esse qui sint improbi multipliciter liquet. B. Ita, inquam. P. Qui igitur supplicio digni sunt miseros esse non dubitas? B. Conuenit, inquam. P. Si igitur cognitor, ait, resideres, cui supplicium inferendum putares, eine qui fecisset, an qui pertulisset iniuriam? B. Nec ambigo, inquam, quin perpesso satisfacerem dolore facientis. P. Miserior igitur tibi iniuriae inlator quam acceptor esse uideretur. B. Consequitur, inquam. Hinc igitur aliis de causis ea radice nitentibus, quod turpitudo suapte natura miseros faciat, apparet inlatam cuilibet iniuriam non accipientis

Oratores errant qui ueniam petunt.

sed inferentis esse miseriam. P. Atqui nunc, ait, contra faciunt oratores. Pro his enim qui graue quid acerbumque perpessi sunt miserationem iudicum excitare conantur, cum magis admittentibus iustior miseratio debeatur; quos non ab iratis sed a propitiis potius, miserantibusque accusatoribus ad iudicium, ueluti aegros ad medicum, duci oportebat, ut culpae morbos supplicio resecarent. Quo pacto defensorum opera uel tota frigeret, uel si prodesse hominibus mallet, in accusationis habitum uerteretur. Ipsi quoque improbi, si eis aliqua rimula uirtutem relictam fas esset aspicere, uitiorumque sordes poenarum cruciatibus se deposituros uiderent compensatione adipiscendae probitatis, nec hos cruciatus esse ducerent, defensorumque operam repudiarent, ac se totos accusatoribus iudicibusque permitterent.

Sapiens neminem odit.

Quo fit ut apud sapientes nullus prorsus odio locus relinquatur. Nam bonos quis nisi stultissimus oderit?

---

108 *caeco* Eng. (p. 44); Pp. Ob. *caecos.* 110 *faciant*...*patiantur*, Vall. *faciunt*...*patiuntur.* 122 *Hinc*, Vall. *Hac.*

---

§ 23 *caeco*, dat. post "eadem." Sic M. Planudes: ταὐτὰ τῷ τυφλῷ.

31 Malos uero odisse ratione caret. Nam si, uti corporum languor, ita uitiositas quidam est quasi morbus animorum, cum aegros corpore minime dignos odio, sed potius miseratione iudicemus, multo magis non insequendi sed miserandi sunt quorum mentes omni languore atrocior urget improbitas.

METRVM IV

Mors instat, omnes homines diligendi

Quod tantos iuuat excitare motus
et propria fatum sollicitare manu?
Si mortem petitis, propinquat ipsa
sponte sua, uolucres nec remoratur equos.
Quos serpens leo, tigris, ursus, aper
dente petunt, idem se tamen ense petunt.
An distant quia dissidentque mores,
iniustas acies et fera bella mouent
alternisque uolunt perire telis?
Non est iusta satis saeuitiae ratio.
Vis aptam meritis uicem referre?
Dilige iure bonos, et miseresce malis.

M. IV, 5 *aper* Ob. Eng. (p. 58); Vall. *apri*; Pp. *acri*.

Metrum IV: phalaecii cum alternis pentametris:

– – | – ∪∪ | – ‖ ∪ | – ∪ | – ∪
– ⏑⏑ | – ⏑⏑ | – ‖ – ∪∪ | – ∪∪ | ⏓

3 Cfr. Tibullum, I, el. 10, 33–34:
"Quis furor est atram bellis accersere mortem?
imminet et tacito clam uenit illa pede."
Sen. *Herc. Fur.* 871–874:
"Quid iuuat dirum properare fatum?
omnis haec magnis uaga turba terris
ibit ad manes facietque inerti
uela Cocyto."

5 *ăper*, mendum auctoris qui saepius talia incaute admittit (e.gr. L. IV, m. III, 7; L. V, m. IV, 4) "apri," "acri" emendata ab editoribus.

8 (Sen.) *Octau.* 819: "Quid fera frustra bella mouetis?"

[VI. DEFENSIO PROVIDENTIAE]

PROSA V

Homo ignorat causas diuinae dispositionis

Tamen bonis non datur quod cupiunt, hoc non negatur prauis.

§ 1 Hic ego: Video, inquam, quae sit uel felicitas uel miseria in ipsis proborum atque improborum meritis constituta. Sed in hac ipsa fortuna populari non nihil boni maliue inesse perpendo. Neque enim sapientum quisquam exsul, inops ignominiosusque esse malit, potius quam pollens opibus, honore reuerendus, potentia ualidus, in sua permanens urbe florere. Sic enim clarius testatiusque sapientiae tractatur officium, cum in contingentes populos regentium quodam modo beatitudo transfunditur, cum praesertim carcer, nex ceteraque legalium tormenta poenarum perniciosis potius ciuibus, propter quos etiam constitutae sunt, debeantur. Cur haec igitur uersa uice mutentur, scelerumque supplicia bonos premant, praemia uirtutum mali rapiant, uehementer admiror; quaeque tam iniustae confusionis ratio uideatur ex te scire desidero.

Nil uidetur ordinis in mundo.

4 Minus etenim mirarer, si misceri omnia fortuitis casibus crederem. Nunc stuporem meum deus rector exaggerat. Qui cum saepe bonis iucunda, malis aspera, contraque bonis dura tribuat, malis optata concedat, nisi causa deprehenditur, quid est quod a fortuitis casibus differre uideatur? P. Nec mirum, inquit, si quid, ordinis ignorata ratione, temerarium confusumque credatur. Sed tu quamuis causam tantae dispositionis ignores, tamen quoniam bonus mundum rector temperat, recte fieri cuncta ne dubites.

Ignoramus consilia diuina.

Pr. V, 10 *nex* Eng. (p. 51); Vall. Pp. Ob. *lex*. 12 *constitutae*, Ob. *constituta*. 21 *deprehenditur*, Ob. *deprehendatur*.

METRVM V

Notis eorum causis terrena admirationem non mouent

Si quis Arcturi sidera nescit
propinqua summo cardine labi,
cur legat tardus plaustra Bootes,
mergatque seras aequore flammas,
cum nimis celeres explicet ortus,
legem stupebit aetheris alti.
Palleant plenae cornua lunae
infecta metis noctis opacae,
quaeque fulgenti texerat ore
confusa Phoebe detegat astra,
commouet gentes publicus error,
lassantque crebris pulsibus aera.
Nemo miratur flamina cori
litus frementi tundere fluctu,
nec niuis duram frigore molem
feruente Phoebi soluier aestu.
Hic enim causas cernere promptum est,
illic latentes pectora turbant.
Cuncta quae rara prouehit aetas

M. V, 3 *legat*, Sitzm. *regat*, sec. (Sen.) *Oct.* 239.

Metrum V: uicissim basis sapphica et alcaica; utrique iungitur adonius (proprium Boethio):

$$- \cup | - \asymp | - \| - \cup\cup | - \asymp$$
$$\asymp - | \cup \asymp | \asymp \| - \cup\cup | - \asymp$$

3 *Metam.* II, 176–177:
"Te quoque turbatum memorant fugisse Boote,
quamuis tardus eras et te tua plaustra tenebant."
Sen. *Med.* 314–315:
"Nec quae sequitur flectitque senex
attica tardus plaustra Bootes."
Oct. 238–239:
"Qua plaustra tardus noctis aeternae uice
regit Bootes frigore arctoo rigans."
M. Capella, II, § 98, l. 3:
"Ardua tunc senior succendit plaustra Bootes."

12 scil. pulsant metalla. Cfr. Iuuen. *Sat.* VI, 441–442. E. B. Tylor, *Primitive Culture* (J. Murray, ed. 4, 1903), I, p. 333.

stupetque subitis mobile uulgus,
cedat inscitiae nubilus error,
cessent profecto mira uideri.

PROSA VI

De prouidentia et fato

Difficilis haec quaestio.

§ 1 Ita est, inquam; sed cum tui muneris sit latentium rerum causas euoluere, uelatasque caligine explicare rationes, quaeso uti quae hinc decernas, quoniam hoc 2 me miraculum maxime perturbat, edisseras. P. Tum illa paulisper arridens: Ad rem me, inquit, omnium quaesitu maximam uocas, cui uix exhausti quicquam satis sit. Talis namque materia est ut, una dubitatione succisa, innumerabiles aliae uelut hydrae capita succrescant; nec ullus fuerit modus, nisi quis eas uiuacissimo mentis igne coerceat.

Summa omnium quae sequentur.

3 In hac enim de prouidentiae simplicitate, de fati serie, de repentinis casibus, de cognitione ac praedestinatione diuina, de arbitrii libertate quaeri solet, quae quanti oneris sint ipse perpendis. Sed quoniam haec quoque te nosse quaedam medicinae tuae portio est, quamquam angusto limite temporis saepti tamen aliquid 4 deliberare conabimur. Quod si te musici carminis oblectamenta delectant, hanc oportet paulisper differas uoluptatem, dum nexas sibi ordine contexo rationes. B. Vt libet, inquam.

Quo discrepet fatum a prouidentia.

5 P. Tum uelut ab alio orsa principio ita disseruit:

Pr. VI, 17 *deliberare*, Vall. Ob. and Pp. (n.) *delibare*.

---

20 Sen. *Tro.* 1153: "Stupet omne uulgus." *Herc. Fur.* 171: "Fluctuque magis mobile uulgus." Cassiodori *Var.* XII, 25 (P.L. LXIX, 876 B).

Pr. VI. Tractatus hic de prouidentia et fato praesertim Procli Diadochi repetit ideas. In primis autem uide appendicem nostrum I (pp. 165–168) de hac re.

§ 3 Hic ponit Philosophia principia quae nunc exponenda. Scil. quinque sunt: 1. Prouidentia simplex, 2. de Fato, 3. de Casu, 4. de Scientia diuina, 5. de Libero arbitrio.

5 *uelut ab alio orsa principio*. Incipit tractatus de prouidentia et fato.

Omnium generatio rerum, cunctusque mutabilium naturarum progressus, et quidquid aliquo mouetur modo, causas, ordinem, formas ex diuinae mentis stabilitate sortitur. Haec in suae simplicitatis arce com-
6 posita multiplicem regendis modum statuit. Qui modus cum in ipsa diuinae intellegentiae puritate conspicitur, PROVIDENTIA nominatur; cum uero ad ea quae mouet atque disponit refertur, FATVM a ueteribus appellatum est. Quae diuersa esse facile liquebit, si quis
7 utriusque uim mente conspexerit. Nam prouidentia est ipsa illa diuina ratio, in summo omnium principe constituta, quae cuncta disponit; fatum uero inhaerens rebus mobilibus dispositio per quam prouidentia suis
8 quaeque nectit ordinibus. Prouidentia namque cuncta pariter, quamuis diuersa, quamuis infinita, complectitur; fatum uero singula digerit in motum, locis, formis ac temporibus distributa; ut haec temporalis ordinis explicatio in diuinae mentis adunata prospectum prouidentia sit, eadem uero adunatio, digesta atque explicata
9 temporibus, fatum uocetur. Quae licet diuersa sint, alterum tamen pendet ex altero. Ordo namque fatalis

Fatum pendet a prouidentia.

---

26 *regendis* Pp. *regendi*; Ob. *rebus gerendis*, *regendis* (n.); Eng. *regendis*, sec. optimos codd. (p. 12). 37 *in motum*, Vall. *in motu*.

Omnium generatio rerum, etc. Alexander Halensis, O.F.M. (†1245) in *Vniuersae theologiae summa* (Coloniae Agrippinae, 1622, 4 tomis) sua facit, bene exponit, elaborat omnia quae hic ponit Boethius de prouidentia, fato, casu. Ad hunc locum cfr. I, q. XXVI, m. 3, art. 3; et S. Thom. Aquin. *c. Gentes*, III, c. 64.

§ 6 *fatum appellatum est*. Cfr. M. Felicem, XXXVI, 2: "Quid enim aliud est fatum quam quod de unoquoque nostrum Deus fatus est?" *Sum. theol.* I, q. CXVI, art. 1 et 2.

§ 7 *definitur prouidentia*. Alex. Hal. op. cit. I, q. XXVI, m. 2; I, q. XXVII, m. 2, art. 1; I, q. XXVIII, m. 3, art. 1. Hic praesertim (ed. cit. tom. I, pp. 151–152) Alexander optime exponit sententiam Boethi. Imitatur hunc locum Dantes, *Par.* VIII, 97–99. Cfr. *Sum. theol.* I, q. XXII, art. 1 et 2; q. XXIII, art. 1.

§ 8 *Prouidentia cuncta complectitur*. Ad hoc cfr. *Sum. theol.* I, q. XXII, art. 2–3.
haec temporalis ordinis explicatio, etc. Alex. Hal. I, q. XII, m. 9, art. 2 (t. I, p. 48).

ex prouidentiae simplicitate procedit. Sicut enim artifex, faciendae rei formam mente praecipiens, mouet operis effectum, et quod simpliciter praesentarieque prospexerat, per temporales ordines ducit; ita deus prouidentia quidem singulariter stabiliterque facienda disponit, fato uero haec ipsa quae disposuit multipliciter ac temporaliter administrat. Siue igitur famulantibus quibusdam prouidentiae diuinis spiritibus fatum exercetur, seu anima seu tota inseruiente natura, seu caelestibus siderum motibus, seu angelica uirtute, seu daemonum uaria sollertia, seu aliquibus horum seu

---

46 *prospexerat*, Ob. *prospexit*.

---

§ 9 *Sicut enim artifex*, etc. Alex. Hal. I, q. XXVI, m. 2 (t. I, p. 140), et m. 5, art. 2.

§ 10 *anima*. Est anima mundi, de qua saepenumero et Plato et platonistae. E.gr. *Phileb.* 30 A: Πόθεν λαβόν, εἴπερ μὴ τό γε τοῦ παντὸς σῶμα ἔμψυχον ὂν ἐτύγχανε, ταὐτά γ' ἔχον τούτῳ καὶ ἔτι πάντῃ καλλίονα; *Leg.* X, 897 C: δῆλον ὡς τὴν ἀρίστην ψυχὴν φατέον ἐπιμελεῖσθαι τοῦ κόσμου παντὸς καὶ ἄγειν αὐτὸν τὴν τοιαύτην ὁδὸν ἐκείνην. Cfr. *Leg.* X, 892 C, 896 E, 898 C; *Tim.* 30 D, 34 B.

tota inseruiente natura. Heraclitus ap. Ioh. Stobaeum, ecl. I, c. 5 [178]: Ἡράκλειτος οὐσίαν εἱμαρμένης ἀπεφήνατο λόγον τὸν δι' οὐσίας τοῦ παντὸς διήκοντα. Αὕτη δ' ἐστὶ τὸ αἰθέριον σῶμα, σπέρμα τῆς τοῦ παντὸς γενέσεως, καὶ περιόδου μέτρον τεταγμένης. Πάντα δὲ καθ' εἱμαρμένην τὴν δ' αὐτὴν ὑπάρχειν ἀνάγκην (ed. A. Meineke, Teubner, 1860, tom. I, pp. 45–46). Cfr. I. Bywater, *Heracliti ephesi reliquiae*, Oxoni, 1877, no. LXIII cum nota, p. 25.

Sic et Stoici. '(Zeno) rationem quandam per omnem naturam rerum pertinentem ui diuina esse adfectam putat" (Cic. *Nat. Deor.* I, 14, § 36).

angelica uirtute seu daemonum uaria sollertia. Loquens de angelica uirtute auctor uidetur, etsi uix animaduertens, trahere mentem christianam. Angeli enim inter fere solos christianos tunc temporis noti. Proclus utique ita: Ἀγγελικῆς αὐτὸν εἶναι θετέον τάξεως· οἱ γὰρ ἄγγελοι τίνες εἰσὶν ἢ οἱ ἄλλων λόγους ἐκφαίνοντες; τίνες δὲ καὶ οἱ θεῶν μὲν ὑπηρέται, δαιμόνων δὲ ἐπιστάται πλὴν τῶν ἀγγέλων; καὶ οὐ ξενικὸν τὸ ὄνομα καὶ βαρβάρου θεοσοφίας μόνης, ἀλλὰ καὶ Πλάτων ἐν Κρατύλῳ τὸν Ἑρμῆν καὶ τὴν Ἶριν θεῶν ἀγγέλους εἶναί φασιν (ed. G. Kroll, Teubner, 1901; II, p. 255). Ἡ βάρβαρος θεοσοφία nimirum est religio christiana. Nihilominus nomen angelorum est christianum, et e libris christianorum sumptum. Locus in *Cratylo* (407 E, 408 B) non est ad rem; ibi enim ἄγγελος ualet nuntium et nil secus. "Daemones" saepissime inuenies in auctoribus paganis, sed non ut spiritus malignos.

omnibus fatalis series texitur; illud certe manifestum est immobilem simplicemque gerendarum formam rerum esse prouidentiam, fatum uero eorum, quae diuina simplicitas gerenda disposuit, mobilem nexum
11 atque ordinem temporalem. Quo fit ut omnia quae fato subsunt prouidentiae quoque subiecta sint, cui ipsum etiam subiacet fatum, quaedam uero quae sub prouidentia locata sunt fati seriem superent. Ea uero sunt quae primae propinqua diuinitati stabiliter fixa fatalis ordinem mobilitatis excedunt.

12 Nam ut orbium circa eundem cardinem sese uertentium qui est intimus ad simplicitatem medietatis accedit, ceterorumque extra locatorum ueluti cardo quidam circa quem uersentur exsistit; extimus uero maiore ambitu rotatus, quanto a puncti media indiuiduitate discedit, tanto amplioribus spatiis explicatur; si quid uero illi se medio conectat et societ, in simplicitatem
13 cogitur diffundique ac diffluere cessat. Simili ratione quod longius a prima mente discedit maioribus fati nexibus implicatur, ac tanto aliquid fato liberum est quanto illum rerum cardinem uicinius petit. Quod si supernae mentis haeserit firmitati, motu carens fati
14 quoque supergreditur necessitatem. Igitur, uti est ad intellectum ratiocinatio, ad id quod est id quod gignitur, ad aeternitatem tempus, ad punctum medium circulus, ita est fati series mobilis ad prouidentiae stabilem simplicitatem.

Relatio inter prouidentiam et fatum.

15 Ea series caelum ac sidera mouet, elementa in se

Quae agat prouidentia, quae fatum.

78 *punctum*, Vall. *puncti*.

Hoc loco ipsa appositio daemonum et angelorum confirmat adspectum christianum. Cfr. supra *C. Ph.* I, pr. IV, § 26: "uilissimorum spirituum praesidia." Aliter tamen Nitzsch, p. 48, et Zeller, III [2], p. 861, n. 5.

immobilem formam esse prouidentiam. Alex. Hal. I, q. XXVI, m. 2 (t. I, p. 139); m. 3, art. 1 (p. 140).

§ 12 *de orbium rotatione.* Dantes locum imitatur, *Par.* XXVIII, 64–66.

simplicitas medietatis est centrum seu axis rotae. Nempe minor orbis, propior centro, immediate circa axim uoluitur. Sed ipse fit ueluti axis maioris remotioris orbis.

inuicem temperat et alterna commutatione transformat; eadem nascentia occidentiaque omnia per similes fetuum
16 seminumque renouat progressus. Haec actus etiam fortunasque hominum indissolubili causarum conexione constringit, quae cum ab immobilis prouidentiae proficiscatur exordiis, ipsas quoque immutabiles esse ne-
17 cesse est. Ita enim res optime reguntur, si manens in diuina mente simplicitas indeclinabilem causarum ordinem promat. Hic uero ordo res mutabiles et alioquin temere fluituras propria incommutabilitate coerceat.
18 Quo fit ut tametsi uobis, hunc ordinem minime considerare ualentibus, confusa omnia perturbataque uideantur, nihilo minus tamen suus modus ad bonum
19 dirigens cuncta disponat. Nihil est enim quod mali causa, ne ab ipsis quidem improbis fiat; quos, ut uberrime demonstratum est, bonum quaerentes prauus error auertit, ne dum ordo de summi boni cardine proficiscens a suo quoquam deflectat exordio.

Ficta confusio praemii et poenae inter bonos et malos oritur e nostra ignorantia.

20 Quae uero, inquies, potest ulla iniquior esse confusio, quam ut bonis tum aduersa tum prospera, malis etiam tum optata tum odiosa contingant? Num igitur ea mentis integritate homines degunt, ut quos probos improbosue censuerunt, eos quoque uti existimant esse necesse sit? Atqui in hoc hominum iudicia depugnant, et quos alii praemio, alii supplicio dignos arbitrantur.

---

86 *proficiscatur*, Vall. *proficiscantur*. 87 *ipsas quoque immutabiles*, Ob. *ipsam quoque inmutabilem*. 99 *quoquam*, Vall. *quemquam*. 104 *censuerunt*, Vall. *censuerint*.

---

§ 16 Citatur, non ad amussim, ab Aquinate, *Sum. theol.* I, q. XXII, art. 4, obiect. 3; cfr. I, q. XXII, art. 2, ad 1. Ll. 86–88 citantur in *Sum. theol.* I, q. CXVI, art. 3, in fine.

§ 17 *res optime reguntur*. *Phileb.* 28 D–E. Cicero *de leg.* II, c. IV, § 8. *Hic uero ordo res mutabiles coerceat*. Cfr. M. Felicem, XVII, 7: "Qui ordo facile turbaretur nisi maxima ratione consisteret."

§ 19 *ut uberrime demonstratum est*, sc. supra II, pr. V–VII et III, pr. III–IX.

§ 20 Exponitur haec sententia ab Alex. Hal. I, q. XXVI, m. 1 (t. I, pp. 137–138).
nescimus qui uere probi, qui praui. Ita Dantes, *Par.* XIII, 130–142.

21 Sed concedamus ut aliquis possit bonos malosque discernere; num igitur poterit intueri illam intimam tem-
22 periem, uelut in corporibus dici solet, animorum? Non enim dissimile est miraculum nescienti, cur sanis corporibus his quidem dulcia, illis uero amara conueniant, cur aegri etiam quidam lenibus, quidam uero acribus adiuuantur. At hoc medicus, qui sanitatis ipsius atque aegritudinis modum temperamentumque dinoscit, mi-
23 nime miratur. Quid uero aliud animorum salus uidetur esse quam probitas, quid aegritudo quam uitia? Quis autem alius uel seruator bonorum uel malorum depulsor quam rector ac medicator mentium deus? Qui cum ex alta prouidentiae specula respexit, quid unicuique conueniat agnoscit, et quod conuenire nouit accommodat.

Similis tractatio aegrorum.

24 Hic iam fit illud fatalis ordinis insigne miraculum, cum ab sciente geritur quod stupeant ignorantes. Nam, ut pauca quae ratio ualet humana de diuina profunditate perstringam, de hoc quem tu iustissimum et aequi seruantissimum putas omnia scienti prouidentiae diuer-
25 sum uidetur. Et uictricem quidem causam dis, uictam uero Catoni placuisse familiaris noster Lucanus admonuit. Hic igitur quidquid citra spem uideas geri, rebus quidem rectus ordo est, opinioni uero tuae per-
26 uersa confusio. Sed sit aliquis ita bene moratus, ut de eo diuinum iudicium pariter et humanum consentiat, sed est animi uiribus infirmus; cui si quid eueniat aduersi, desinet colere forsitan innocentiam per quam non potuit retinere fortunam. Parcit itaque sapiens dispensatio ei quem deteriorem facere possit aduersitas,

Deus sapienter disponit bonum et malum tum probis cum improbis.

---

113 *adiuuantur* Eng. (p. 29), indicat. licet clausa depend.; Ob. *adiuuentur*; Pp. finit colon (:) post "conueniant": et ponit punctum interrog. post "adiuuantur?" Eng. *adiuuantur*, sed iungit clausulae dependenti. Lapsus Boethi. 119 *respexit*, Vall. *respicit*. 132 *et humanum*, Ob. *humanumque*.

---

§ 24 *aequi seruantissimum*. *Aen.* II, 427.
§ 25 *Lucanus admonuit*, sc. *Phars.* I, 128.
§ 26 *sit aliquis ita bene moratus*, etc. Alex. Hal. I, q. XXVI, m. I.

27 ne cui non conuenit laborare patiatur. Est alius cunctis uirtutibus absolutus, sanctusque ac deo proximus. Hunc contingi quibuslibet aduersis nefas prouidentia iudicat, adeo ut ne corporeis quidem morbis agitari sinat. Nam ut quidam me quoque excellentior: Ἀνδρὸς δὴ ἱεροῦ δέμας αἰθέρες ᾠκοδόμησαν.

Diuersis diuersa apta.

28 Fit autem saepe, uti bonis summa rerum regenda
29 deferatur, ut exuberans retundatur improbitas. Aliis mixta quaedam pro animorum qualitate distribuit; quosdam remordet, ne longa felicitate luxurient, alios duris agitari, ut uirtutes animi patientiae usu atque exercitatione confirment. Alii plus aequo metuunt quod ferre possunt, alii plus aequo despiciunt quod ferre non possunt. Hos in experimentum sui tristibus ducit.

---

141 *excellentior*, Ob. *excellentior* [*ait*]. 142 Peiper: οἰκοδόμησαν. Hic corrigo textum. Ob. Ἀνδρὸς δ' ἱροῦ σῶμ' αἴθηρ [*sic*] ἐξοικοδόμησεν. P. Callyus: Ἀνδρὸς ἱεροῦ σῶμα δυνάμεις οἰκοδομοῦσι. 143 *regenda*, Vall. *gerenda*. 147 *agitari*, Vall. *agitari sinit*.

---

§ 27 *Est alius cunctis uirtutibus absolutus*. Alex. Hal. ib. Ἀνδρὸς δὴ κ.τ.λ.. Sc. *Viri sancti corpus caeli aedificauerunt*. Locus difficilis omnino. Quis enim est ille excellentior ipsa philosophia, qui hoc dixit? In primis statuendus esset textus graecus, cuius auctor tunc quaerendus. Atqui textus, uti omnia quae citat Boethius graece, nimis est corruptus. Vide uersiones discrepantes supra, et alias adhuc ap. Peiper et Obbarium ad locum.

R. Peiper conicit uersum esse Parmenidis: περὶ φύσεως, 116, 146 seq. Sed ipsa haec uerba saltem non inueniuntur. Sed I. Semeria (op. cit. pp. 92–93) apposite notat oraculum quoddam citari. Nonnisi oraculum diceretur excellentius ipsa philosophia. Iodocus Ascensius suspicatus est locum sumptum ex Herme trismegisto (sic P. Callyus, Migne, P.L. LXIII, 819); sed ubi Hermes hoc ait, non apparet. Propius est quaerere oraculum Scripturae quod optime diceret philosophia excellentius se. Sic Augustus Hildebrand (op. cit. p. 141) in primis proponit δόμους, ubi δέμας. Sic ergo textus esset: *Viri sancti domum caeli aedificauerunt*. Tunc citat (licet non plane consentiens) coniecturas Schündelen et opinionem qua alluderetur seu ad martyres in Scriptura (ad Machabaeos, ad pueros in fornace, ad Baptistam, uel ad Iob), seu ad textus Sap. III, 1; V, 1–7, 20; VIII, 1–9, 17; Dan. III, 50. Verum nullibi in Scriptura inuenitur locus quem citat Boethius. Nec satis est inuenisse sententiam plus minusue similem; citatur heic uersus quidam ad uerbum. Nil ergo manet nisi ut fateamur originem huius loci ignotam.

30 Nonnulli uenerandum saeculi nomen gloriosae pretio
mortis emerunt; quidam suppliciis inexpugnabiles ex-
emplum ceteris praetulerunt inuictam malis esse uir-
31 tutem. Quae quam recte atque disposite et ex eorum
bono quibus accedere uidentur fiant, nulla dubitatio est.
Nam illud quoque, quod improbis nunc tristia, nunc
32 optata proueniunt, ex eisdem ducitur causis. Ac de
tristibus quidem nemo miratur, quod eos male meritos
omnes existimant; quorum quidem supplicia tum ceteros
ab sceleribus deterrent, tum ipsos quibus inuehuntur
emendant. Laeta uero magnum bonis argumentum
loquuntur, quid de huiusmodi felicitate debeant iudi-
care, quam famulari saepe improbis cernant.

33 In qua re illud etiam dispensari credo, quod est *Quandoque bona iuuant improbos.*
forsitan alicuius tam praeceps atque inportuna natura,
ut eum in scelera potius exacerbare possit rei familiaris
inopia; huius morbo prouidentia collatae pecuniae re-
34 medio medetur. Hic foedatam probris conscientiam
exspectans et se cum fortuna sua comparans, forsitan
pertimescit ne cuius ei iucundus usus est, sit tristis
amissio. Mutabit igitur mores, ac dum fortunam metuit
35 amittere, nequitiam derelinquit. Alios in clademeri-
tam praecipitauit indigne acta felicitas; quibusdam
permissum puniendi ius, ut exercitii bonis et malis esset
causa supplicii. Nam ut probis atque improbis nullum
foedus est, ita ipsi inter se improbi nequeunt conuenire.
36 Quidni, cum a semet ipsis discerpentibus conscientiam
uitiis quisque dissentiat, faciantque saepe, quae cum
37 gesserint non fuisse gerenda decernant? Ex quo saepe *Mali iuuant malos.*
summa illa prouidentia protulit insigne miraculum, ut
malos mali bonos facerent. Nam dum iniqua sibi a

169 *exspectans*, Vall. Ob. *spectans*. 173 *acta*, Ob. *aucta*.
178 *quisque*, Vall. *quique*.

§ 32 *Laeta* (*fortuna prauorum*) *bonis argumentum*. Sic Seneca: "Hoc est propositum deo quod sapienti uiro, ostendere haec quae uulgus appetit, quae reformidat, nec bona esse nec mala. Apparebunt autem bona esse si illa non nisi bonis tribuerit, et mala esse si malis tantum irrogauerit" (*Dial.* I, *de Prouid.* cap. V, § 1).

pessimis quidam perpeti uidentur, noxiorum odio flagrantes ad uirtutis frugem rediere, dum se eis dissimiles
38 student esse quos oderant. Sola est enim diuina uis cui mala quoque bona sint, cum eis competenter utendo alicuius boni elicit effectum. Ordo enim quidam cuncta complectitur, ut quod adsignata ordinis ratione decesserit, hoc licet in alium, tamen ordinem relabatur, ne quid in regno prouidentiae liceat temeritati.

Ἀργαλέον δέ με ταῦτα θεὸν ὣς πάντ' ἀγορεύειν.

Homo pauca intellegit de his.

39 Neque enim fas est homini cunctas diuinae operae machinas uel ingenio comprehendere uel explicare sermone. 40 Hoc tantum perspexisse sufficiat, quod naturarum omnium proditor deus idem ad bonum dirigens cuncta disponat, dumque ea quae protulit in sui similitudinem retinere festinat, malum omne de reipublicae suae terminis per fatalis seriem necessitatis eliminet. Quo fit ut quae in terris abundare creduntur, si disponentem prouidentiam spectes, nihil usquam mali esse perpendas.

41 Sed uideo te, iam dudum et pondere quaestionis oneratum et rationis prolixitate fatigatum, aliquam carminis exspectare dulcedinem. Accipe igitur haustum quo refectus firmior in ulteriora contendas.

---

187 *adsignata*, Vall. *ab assignati*; Ob. *ab signata*, *a designata* (n.); Eng. (p. 13) *adsignata*; saepe abl. disiunctiu. sine praepos. ap. Boethium. *decesserit*, Vall. *discesserit*. 188 *ordinem*, Ob. [*in*] *ordinem*. 191 *diuinae operae*, Vall. *diuini operis*. 197 *eliminet*, Ob. *eliminat*.

---

§ 38 *Sola est enim diuina uis*, etc. Alex. Hal. I, q. XXVI, m. 4, art. 1 (tom. I, p. 142). Alludit Dantes, *Purg.* VI, 121–123.
Ordo enim quidam cuncta complectitur, etc. Alex. Hal. I, q. XII, m. 9, art. 2 (tom. I, p. 48).
Ἀργαλέον δέ με ταῦτα θεὸν ὣς πάντ' ἀγορεύειν, sc. "Difficile autem me, ut deum, haec omnia narrare."

METRVM VI

Omnia per gyrum illuc redeunt unde prodierunt

Si uis celsi iura tonantis
pura sollers cernere mente,
aspice summi culmina caeli.
Illic iusto foedere rerum
ueterem seruant sidera pacem.
Non sol rutilo concitus igne
gelidum Phoebes impedit axem,
nec quae summo uertice mundi
flectit rapidos ursa meatus.
Numquam occiduo lota profundo
cetera cernens sidera mergi
cupit oceano tingere flammas.
Semper uicibus temporis aequis
uesper seras nuntiat umbras,
reuehitque diem Lucifer almum.
Sic aeternos reficit cursus
alternus amor, sic astrigeris
bellum discors exsulat oris.
Haec concordia temperat aequis

Metrum VI pindaricum: anap. dim. (=1, 5, q.u.):
⏑⏑ – | ⏑⏑ – | – ◡◡ | – ⏑; irregulare.

4 *iusto foedere rerum.* Tiberiani *Carm.* IV, 29 (Bährens, *Poetae lat. min.* Teubner, III, p. 268).

8 Sen. *Oed.* 485–486:
"Arcadum sidus geminumque plaustrum
uertice summo."

8–12 De Vrsa maiore cfr. *Par.* XIII, 7–9.

10 Sen. *Thy.* 824: "Sol auroram uidet occiduus."

18–19 Hor. *Ep.* I, 12, 19: "Quid uelit et possit rerum concordia discors." Ouidi *Metam.* I, 433: "Discors concordia fetibus apta est." Lucanus *Phars.* I, 98: "Temporis angusti mansit concordia discors." Apuleius *de Mundo*, XIX (ed. P. Thomas, Teubner, 1908, tom. III, p. 155); XXI: "Sic totius mundi† suo instantia initiorum inter se inpares conuentus pari nec discordante consensu natura, uelut musicam, temperauit" (ed. cit. III, pp. 157–158); XXIV: "(Mundi rector) quadam infatigabili prouidentia et procul posita cuncta contingit, et maximis interuallis disiuncta complectitur" (p. 160).

19–24 *concordia oppositorum.* Cfr. *Cons. Phil.* III, m. IX, 10–13 (p. 82). Ouidi *Metam.* I, 22–31.

elementa modis, ut pugnantia
uicibus cedant umida siccis,
iungantque fidem frigora flammis,
pendulus ignis surgat in altum,
terraeque graues pondere sidant.
Isdem causis uere tepenti
spirat florifer annus odores,
aestas cererem feruida siccat,
remeat pomis grauis autumnus,
hiemem defluus inrigat imber.
Haec temperies alit ac profert
quidquid uitam spirat in orbe.
eadem rapiens condit et aufert
obitu mergens orta supremo.
Sedet interea conditor altus,
rerumque regens flectit habenas,
rex et dominus, fons et origo,
lex et sapiens arbiter aequi,
Et quae motu concitat ire,
sistit retrahens ac uaga firmat.
Nam nisi rectos reuocans itus
flexos iterum cogat in orbes,
quae nunc stabilis continet ordo

---

25 *Isdem*, Ob. *His de*.

20–22 (Sen.) *Oct.* 227–229:
"Iungentur ante saeua sideribus freta
et ignis undae, tartaro tristi polus,
lux alma tenebris, roscidae nocti dies."
22 *iungantque fidem*, sc. ineant pactum.
24 (Sen.) *Agam.* 88: "sidunt ipso pondere magna."
25–28 (Sen.) *Herc. Oet.* 1580–1583:
"Vere dum flores uenient tepenti
uel comam siluis reuocabit aestas
pomaque autumno fugiente cedent."
Ouidi *Remed. amoris*, I, 187–188:
"Poma dat autumnus, formosa est messibus aestas,
uer praebet flores, igne leuatur hiemps."
36 M. Capella, II, 185, l. 2: "(sol) fomes sensificus, mentis fons, lucis origo" (ed. Teubn. 1866, p. 48).
37 Sen. *Herc. Fur.* 734: "Iste ueri rector atque aequi arbiter."
40–43 Cfr. supra, IV, pr. VI, § 17 (p. 126).
41 Sen. *Med.* 689–693: "(serpens corpus) cogitque in orbes."

dissaepta suo fonte fatiscant.
Hic est cunctis communis amor
repetuntque boni fine teneri,
quia non aliter durare queant,
nisi conuerso rursus amore
refluant causae quae dedit esse.

PROSA VII

Fortuna a deo orta homines remunerans, exercens, puniens, emendans ad deum reducit

Omnis fortuna est bona

§ 1 Iamne igitur uides quid haec omnia quae diximus consequatur? B. Quidnam? inquam. P. Omnem, inquit, bonam prorsus esse fortunam. B. Et qui id, inquam, 2 fieri potest? P. Attende, inquit; cum omnis fortuna uel iucunda uel aspera, tum remunerandi exercendiue bonos, tum puniendi corrigendiue improbos causa deferatur, omnis bona quam uel iustam constat esse uel 3 utilem. B. Nimis quidem, inquam, uera ratio, et si quam paulo ante docuisti prouidentiam fatumue considerem, firmis uiribus nixa sententia. Sed eam si placet inter eas quas inopinabiles paulo ante posuisti numere- 4 mus. P. Qui? inquit. B. Quia id hominum sermo communis usurpat et quidem crebro quorundam malam esse fortunam. P. Visne igitur, inquit, paulisper uulgi sermonibus accedamus, ne nimium uelut ab humani- *quia aut exercet nos, aut corrigit, aut remuneratur, aut punit.* 5 tatis usu recessisse uideamur? B. Vt placet, inquam. P. Nonne igitur bonum censes esse quod prodest? B. Ita est, inquam. P. Quae uero aut exercet aut corrigit, prodest? B. Fateor, inquam. P. Bona igitur? 6 B. Quidni? P. Sed haec eorum est, qui uel in uirtute positi contra aspera bellum gerunt, uel a uitiis declinantes uirtutis iter arripiunt. B. Negare, inquam, 7 nequeo. P. Quid uero iucunda, quae in praemium tribuitur bonis, num uulgus malam esse decernit? B. Nequaquam. Verum uti est ita quoque esse optimam

Pr. VII, 3 *id*, Vall. om. 8 *ratio*, Ob. *ratio est*.

Pr. VII, § 3 *paulo ante docuisti*, sc. *Cons. Phil.* IV, pr. IV et VI.

censet. P. Quid reliqua, quae cum sit aspera, iusto supplicio malos coercet, num bonam populus putat? B. Immo omnium, inquam, quae excogitari possunt, iudicat esse miserrimam. P. Vide igitur ne opinionem populi sequentes quiddam ualde inopinabile confe-

Omnia bona bonis, mala malis.

cerimus. B. Quid? inquam. P. Ex his enim, ait, quae concessa sunt, euenit eorum quidem, qui uel sunt uel in possessione uel in prouectu uel in adeptione uirtutis, omnem quaecumque sit bonam, in improbitate uero manentibus omnem pessimam esse fortunam. B. Hoc, inquam, uerum est, tametsi nemo audeat confiteri.

Proelium cum fortuna.

P. Quare, inquit, ita uir sapiens moleste ferre non debet, quotiens in fortunae certamen adducitur, ut uirum fortem non decet indignari, quotiens increpuit bellicus tumultus. Vtrique enim, huic quidem gloriae propagandae, illi uero confirmandae sapientiae, difficultas ipsa materia est. Ex quo etiam uirtus uocatur quod suis uiribus nitens non superetur aduersis. Neque enim uos in prouectu positi uirtutis diffluere deliciis et emarcescere uoluptate uenistis. Proelium cum omni fortuna animis acre conseritis, ne uos aut tristis opprimat, aut iucunda corrumpat. Firmis medium uiribus occupate. Quidquid aut infra subsistit, aut ultra progreditur, habet contemptum felicitatis, non habet praemium laboris. In uestra enim situm manu qualem uobis fortunam formare malitis. Omnis enim quae uidetur aspera, nisi aut exercet aut corrigit, punit.

---

32 *uel sunt*, sic et Eng. (p. 23); Ob. om. *uel*. 41 *confirmandae* Vall. Eng. (p. 46); Pp. *conformandae*. 46 *animis* Eng. (p. 46); Ob. *nimis*; Pp. *a nimis*. 50 *situm*, Ob. *situm est*.

---

§ 9 Albertus Brixiensis, *Lib. Consol. et Consil.* c. XL: "Ait enim Boethius in libro secundo (sic) de Consolatione: Nihil enim est fortuna nisi secundum opinionem uulgi" (ed. T. Sundby, Lond. 1873, p. 90).

§ 12 *uirtus uocatur quod suis uiribus*, etc. Cic. *Tusc. Disp.* II, c. 18, § 43: "Appellata est enim ex uiro uirtus; uiri autem propria maxime est fortitudo." Reuera radix nominis *uirtutis* est *uir* (sanscr. *vira*, unde et germ. ant. *werald* et angl. *world*). Sed *uis* ex alia radice, sc. gr. *ἴς*, *Fις*, unde *ἴφι*, "potenter." ...*medium*...*occupate*. Brunettus Latin. *Tresor*, II, part. II, c. 48: "Boeces dit: Vertus tient le mi" (ed. P. Chabaille, p. 338).

METRVM VII

Certamine desiderata acquiruntur

Bella bis quinis operatus annis
ultor Atrides Phrygiae ruinis
fratris amissos thalamos piauit.
Ille dum graiae dare uela classi
optat et uentos redimit cruore,
exuit patrem miserumque tristis
foederat natae iugulum sacerdos.
Fleuit amissos Ithacus sodales
quos ferus uasto recubans in antro
mersit inmani Polyphemus aluo.
Sed tamen caeco furibundus ore
gaudium maestis lacrimis rependit.
Herculem duri celebrant labores.
Ille Centauros domuit superbos,
abstulit saeuo spolium leoni,
fixit et certis uolucres sagittis,
poma cernenti rapuit draconi,
aureo laeuam grauior metallo,
Cerberum traxit triplici catena.
Victor immitem posuisse fertur
pabulum saeuis dominum quadrigis.
Hydra combusto periit ueneno,
fronte turpatus Achelous amnis

M. VII, 18 *laeuam*, Ob. *laeua*.

Metrum VII sapphicum; ultimus uersus adonius.

1 (Sen.) *Agam.* 654–655:
"Troia bis quinis Danaum furori
restitit annis."

2 *ultor Atrides.* Stati *Achilleidos*, I, 56–57:
"Si nomina forte
huc perlata ducum, fidit quibus ultor Atrides."

5 *Agam.* 171: "Cruore uentos emimus, bellum nece."

7 *foederat iugulum*, scil. foedere facto perfodit.

13–31 Hic memorantur noti duodecim Herculis labores.

14 Sen. *Oed.* 487: "Ille dispersos domuit Gelonos."

15 Sen. *Herc. Fur.* 1161: "Spolia quis tanta abstulit?"

19 (Sen.) *Agam.* 913–915: "Tractus ad caelum canis inferorum
. . . triplici catena."

23 *turpatūs* ante caesuram.

ora demersit pudibunda ripis.
Strauit Antaeum libycis harenis,
Cacus Euandri satiauit iras
quosque pressurus foret altus orbis
saetiger spumis umeros notauit.
Vltimus caelo labor inreflexo
sustulit collo pretiumque rursus
ultimi caelum meruit laboris.
Ite nunc fortes ubi celsa magni
ducit exempli uia. Cur inertes
terga nudatis? Superata tellus
sidera donat.

---

29 *caelo* Eng. (p. 46); Ob. *caelum*; Pp. *caelos*.

---

25 Sen. *Herc. Fur.* 486: "Eryx et Eryci iunctus Antaeus Libys."
Cfr. *Herc. Oet.* 24, 1793, 1905.
29 *Vltimus labor caelo*, sc. labor propter caelum.
30–31 *sustulit, meruit* regunt *caelum*. Eng. (p. 47).
30–35 (Sen.) *Herc. Oet.* 1992–1998:
"Numquam stygias fertur ad umbras
inclita uirtus.
uiuunt fortes quos lethaeos
saeua per amnes nec fata trahent,
sed cum summas exiget horas
consumpta dies,
iter ad superos gloria pandet."
Ceterum cfr. et Mt. XI, 12.
32 Sen. *Med.* 653: "Ite nunc fortes perarate pontum."

PROSA I

Deo omnibus prouidente non est casus

Estne casus?

§ 1 DIXERAT, orationisque cursum ad alia quaedam tractanda atque expedienda uertebat. B. Tum ego: Recta quidem, inquam, exhortatio, tuaque prorsus auctoritate dignissima; sed quod tu dudum de prouidentia quaestionem pluribus aliis implicitam esse dixisti, re experior. Quaero enim an esse aliquid omnino 2 et quidnam esse casum arbitrere. P. Tum illa: Festino, inquit, debitum promissionis absoluere, uiamque tibi qua patriam reueharis aperire. Haec autem etsi perutilia cognitu, tamen a propositi nostri tramite paulisper auersa sunt, uerendumque est ne deuiis fatigatus ad 3 emetiendum rectum iter sufficere non possis. B. Ne id, inquam, prorsus uereare. Nam quietis mihi loco fuerit ea quibus maxime delector agnoscere, simul cum omne disputationis tuae latus indubitata fide constiterit, 4 nihil de sequentibus ambigatur. P. Tum illa: Morem, inquit, geram tibi; simulque sic orsa est: Si quidem, inquit, aliquis euentum temerario motu nullaque causarum conexione productum casum esse definiat, nihil omnino casum esse confirmo, et praeter subiectae rei significationem inanem prorsus uocem esse decerno. 5 Quis enim coercente in ordinem cuncta deo locus esse ullus temeritati reliquus potest? Nam nihil ex nihilo exsistere uera sententia est, cui nemo unquam ueterum refragatus est; quamquam id illi non de operante principio, sed de materiali subiecto hoc omnium de natura 6 rationum quasi quoddam iecerint fundamentum. At si

Quo sensu non sit casus.

Pr. I, 26 *hoc*, Ob. *hoc est*; Pp. *subiecto: hoc omnium*; Eng. (p. 23) aufert puncta.

Pr. I, § 5 *Quis enim coercente*, etc. Sic Paschasius Radbertus *de Corp. et Sang. Dni*, cap. 1, § 1: "Quoniam extra potentiam Dei nihil est, idcirco omnia potest" (P.L. CXX, 1268 D).
Nihil ex nihilo exsistere. Celeber locus quem solent aduersarii (scil. qui negant Boethium uere christianum) citare, ut efficiant eum adserere mundum aeternum igitur increatum. Verum perperam falluntur, ut uideri licet supra pp. xxxix–xl.

nullis ex causis aliquid oriatur, id de nihilo ortum esse uidebitur. Quod si hoc fieri nequit, ne casum quidem huiusmodi esse possibile est qualem paulo ante definiuimus.

Aristoteles definit casum.

7 B. Quid igitur, inquam, nihilne est quod uel casus uel fortuitum iure appellari queat? An est aliquid, tametsi uulgus lateat, cui uocabula ista conueniant?

8 P. Aristoteles meus id, inquit, in Physicis et breui et ueri propinqua ratione definiuit. B. Quonam, inquam,

9 modo? P. Quotiens, ait, aliquid cuiuspiam rei gratia geritur, aliudque quibusdam de causis quam quod intendebatur obtingit, casus uocatur; ut si quis colendi agri causa fodiens humum defossi auri pondus inueniat.

10 Hoc igitur fortuitu quidem creditur accidisse; uerum non de nihilo est, nam proprias causas habet, quarum inprouisus inopinatusque concursus casum uidetur operatus. Nam nisi cultor agri humum foderet, nisi eo loci pecuniam suam depositor obruisset, aurum non

11 esset inuentum. Haec sunt igitur fortuiti causa compendii, quod ex obuiis sibi et confluentibus causis, non ex gerentis intentione prouenit. Neque enim uel qui aurum obruit, uel qui agrum exercuit, ut ea pecunia reperiretur intendit; sed, uti dixi, quo ille obruit hunc

12 fodisse conuenit atque concurrit. Licet igitur definire casum esse inopinatum ex confluentibus causis in his quae ob aliquid geruntur euentum. Concurrere uero atque confluere causas facit ordo ille ineuitabili conexione procedens, qui de prouidentiae fonte descendens cuncta suis locis temporibusque disponit.

---

35 *in Physicis*, Ob. *meus in Physicis*. 41 *fortuitu*, Vall. *fortuito*. 44 *eo loci*, Vall. *eo loco, in eo loco*. 46 *Haec... causa*, Ob. *Hae...causae*.

---

§ 8 Sententia Aristotelis in *Phys.* II, 4. Cfr. ipsum B. *in libr. de Interpret.* ed. sec. lib. III (P.L. LXIV, 491 D). Cfr. Alex. Halens. *Vniu. Theol. Summae*, I, q. XXVI, m. 4, art. 2 (ed. cit. I, p. 143); Aquin. *c. Gent.* III, cap. 74.

§ 12 *definitio casus*. Citat ac exponit locum Alex. Hal. loc. cit. p. 143.

METRVM I

Casus regitur lege diuina

Rupis achaemeniae scopulis ubi uersa sequentum
pectoribus figit spicula pugna fugax,
Tigris et Euphrates uno se fonte resoluunt
et mox abiunctis dissociantur aquis.
Si coeant, cursumque iterum reuocentur in unum,
confluat alterni quod trahit unda uadi;
conuenient puppes et uulsi flumine trunci,

M. I, 7 *conuenient*, sic Eng. (p. 31); Vall. Ob. *conueniant*.

Metrum I elegiacum (ut I, m. 1).

1 *Achaemenia* est Persia; Achaemenes (Ἀχαιμένης) enim mythicus est auus regum persicorum. Cfr. Horati *Carm.* II, 12, u. 21; III, 1, u. 44; *Epod.* XIII, 8.

2 *pugna fugax*. *Georg.* III, 31: "fidentemque fuga Parthum uersisque sagittis."
Stati *Siluarum* I, 4, u. 78–79: "arcuque horrenda fugaci | Armenia." Cfr. ib. V, 2, u. 40–41.

3 *Tigris et Euphrates*. Diodorus Siculus, lib. II, c. 11, §§ 1–2 (ed. F. Vogel, Teubner, 1888, I, p. 188). Q. Curtius Rufus, *Hist. Alex. magni*, lib. V, § 13: "Ipsi amnes ex Armeniae montibus profluunt, et magno deinde aquarum diuortio iter quod coeperunt percurrunt" (ed. Teubner, 1908, p. 108). Cfr. Hieronymum *de Situ et Nomin. Locorum hebr.* P.L. XXIII, 892–893.
Hic tamen auctor uidetur potius Sallustium memorare. Cfr. Sallusti *Hist.* lib. IV, fragm. 52, ed. R. Dietsch, Lipsiae, Teubner, 1859, tom. II, p. 109. De quo et Isidorus Hispal. *Etymol.* lib. XIII, c. 21, § 10: "Sallustius autem, auctor certissimus, asserit Tigrim et Euphratem uno fonte manare in Armenia, qui per diuersa euntes longius diuiduntur." Hinc Dantes, *Purg.* XXXIII, 112–114:

> "Dinanzi ad esse Eufrates e Tigri
> veder mi parve uscir d' una fontana
> e quasi amici dipartirsi pigri."

Quaeritur solum utrum diuinus poeta dictum e Boethio an ex Isidoro desumpserit. Vtrumque possibile. Locus Isidori quo citat Sallustium noscebatur medio aeuo. Sic Brunettus Latinus, Dantis magister, in *Thesauro*, III, 2: "Salustes dit que Tigres et Eufrates issent en Hermenie de une meisme fontaine," hauriens non directe e Sallustio sed ex Isidoro.
Ad haec uide M. Scherillo, *Alcuni capitoli della Biografia di Dante* (Aug. Taurin. 1896), p. 183; E. Moore, *Studies in Dante* (ser. I, Oxon. 1896), p. 284; G. A. Scartazzini in *Comm. mai. ad Diu. Com.* (Lipsiae, 1874–1890), II, p. 795.
uno fonte. Cfr., praeter quae supra, Strabonis *Geogr.* II, cap. I, §§ 23 et 26 (ed. A. Meineke in serie teubnerana, 1852, I, pp. 103, 105).

mixtaque fortuitos implicet unda modos,
quos tamen ipsa uagos terrae decliuia casus
gurgitis et lapsi defluus ordo regit.
Sic quae permissis fluitare uidetur habenis
fors patitur frenos ipsaque lege meat.

PROSA II

Est homini liberum arbitrium

Rationali naturae inest libertas.

§ 1 Animaduerto, inquam, idque, uti tu dicis, ita esse consentio. Sed in hac haerentium sibi serie causarum estne ulla nostri arbitrii libertas, an ipsos quoque humanorum 2 motus animorum fatalis catena constringit? P. Est, inquit; neque enim fuerit ulla rationalis natura, quin eidem libertas adsit arbitrii. Nam quod ratione uti naturaliter potest, id habet iudicium quo quidque dis- 3 cernat; per se igitur fugienda optandaue dinoscit. Quod uero quis optandum esse iudicat petit; refugit uero quod aestimat esse fugiendum. Quare quibus in ipsis inest ratio, inest etiam uolendi nolendique libertas.

Sed diuerse diuersis.

4 Sed hanc non in omnibus aequam esse constituo. Nam supernis diuinisque substantiis et perspicax iudi-

---

Pr. II, 10 *quibus in ipsis*, sic Eng. (p. 26); Ob. Pp. uolunt delere *in ipsis*; Vall. om.

Pr. II, § 2 *libertas arbitrii* seq. rationalem naturam. Hanc sententiam Peripateticorum fusius exponit Boethius et uariis argumentis euincit in *comment. in librum* (Aristot.) *de Interpretatione ed. secund.* III (P.L. LXIV, 491 C, 492 B–493 A). Cfr. Dantis *Mon.* I, xii, 17–37; *Par.* V, 22–24:

"della volontà la libertate,
di che le creature intelligenti
e tutte e sole furon e son dotate."

Id. saepe Aquinas, *Sum. theol.* I, q. LIX, art. 3: "Vnde ubicumque est intellectus, est liberum arbitrium." I, q. LXXXIII, art. 1; I–II, q. XIII, art. 6.

§ 4 *supernae diuinaeque substantiae* sunt angeli, seu in genere omnes spiritus caelestes homine superiores. Multos huiusmodi ordine distinctos esse spiritus credebant et gentiles, maxime Neoplatonistae, et Christiani. Ita diuinus Plato, *Conuiu.* c. XXIII (202 E): *πᾶν τὸ δαιμόνιον μεταξύ ἐστι θεοῦ τε καὶ θνητοῦ.* Plutarchus *De defectu Orac.* c. X: *Ἐμοὶ δὲ δοκοῦσι πλείονας λῦσαι καὶ μείζονας ἀπορίας οἱ τὸ τῶν δαιμόνων γένος*

cium et incorrupta uoluntas et efficax optatorum praesto
5 est potestas. Humanas uero animas liberiores quidem 15
esse necesse est, cum se in mentis diuinae speculatione
conseruant; minus uero, cum dilabuntur ad corpora;
6 minusque etiam, cum terrenis artubus colligantur. Ex-
trema uero est seruitus, cum uitiis deditae rationis
7 propriae possessione ceciderunt. Nam ubi oculos a 20
summae luce ueritatis ad inferiora et tenebrosa deie-
cerint, mox inscitiae nube caligant, perniciosis turbantur
affectibus, quibus accedendo consentiendoque quam
inuexere sibi adiuuant seruitutem, et sunt quodam modo
8 propria libertate captiuae. Quae tamen ille ab aeterno 25
cuncta prospiciens prouidentiae cernit intuitus, et suis
quaeque meritis praedestinata disponit.

ἐν μέσῳ θέντες θεῶν καὶ ἀνθρώπων καὶ τρόπον τινὰ τὴν κοινωνίαν ἡμῶν συνάγον εἰς ταὐτὸ καὶ συνάπτον ἐξευρόντες (ed. teubn. III, p. 82). Hierocles distinguit triplicem ordinem, scil. deorum, daemonum, hominum (in excerptis ap. Photi *Biblioth.* cod. 214, P.G. CIII, 704 B; cod. 251, P.G. CIV, 80 A–B). Cfr. et Origenem *De princ.* III, c. 2, § 1; 1, c. 6, § 2; *c. Cels.* VIII, 13 (Harnack, *Lehrbuch der Dogmengesch.* ed. IV, 1909, I, p. 678).

Ipse Boethius *In Porphyr. a Victor. transl.* dial. I: "Secunda uero pars (philosophiae theoreticae) est intellegibilis, quae primam intellectibilem cogitatione atque intellegentia suscipiens ea comprehendit quae sunt omnium caelestium supernae diuinitati operum causae, et quidquid sub lunari globo beatiore animo atque puriore substantia ualet; postremo humanarum conditionem atque statum" (P.L. LXIV, 11 C).

§ 5 *cum dilabuntur ad corpora.* Videtur supponere praeexsistentiam animarum, unde sunt qui censent Boethium et hic et locis parall. (III, m. XI, 15–16, p. 96; V, m. III, 22–23, p. 147) trahere mentem achristianam. Quaestionem habes discussam pp. xlii–xlv.

Duplex corporeitas: *dilabuntur ad corpora... terrenis artubus colligantur.* Sic Proclus, *Inst. Theol.* c. 196 (ed. F. Creuzer, in Plotino a Didot, pp. cxii–cxiii).

§ 6 *extrema seruitus cum uitiis deditae.* Ita Ioh. VIII, 34; Rom. VII, 15–24.

METRVM II

Deus, uerus sol, omnia intuetur

Πάντ' ἐφορᾶν καὶ πάντ' ἐπακούειν
puro clarum lumine Phoebum
melliflui canit oris Homerus;
qui tamen intima uiscera terrae
non ualet aut pelagi radiorum
infirma perrumpere luce.
Haud sic magni conditor orbis;
huic ex alto cuncta tuenti
nulla terrae mole resistunt,
non nox atris nubibus obstat.
Quae sint, quae fuerint ueniantque
uno mentis cernit in ictu;
quem, quia respicit omnia solus,
uerum possis dicere solem.

Metrum II: uersus tetrametri dactylici (alcmanii):

– ⏑⏑ | – ⏑⏑ | – ⏑⏑ | – ⏓

1 Πάντ' ἐφορᾶν, κ.τ.λ. *Omnia cernere et omnia audire. Il.* III, 277; *Od.* XII, 323. Omnes hucusque posuerunt hunc uersum, mutata forma (Ob. indic. Pp. part.) in fin. Pr. II. Eng. notat eum consonare metro II, ad quod eum trahit. "Canit Homerus" regit totam phrasim.

2 *Il.* I, 605: λαμπρὸν φάος ἠελίοιο, et saepe idem.

13–14 Ita Cicero *de Nat. Deor.* II, c. 27, § 68: "Sol dictus uel quia solus ex omnibus sideribus est tantus, uel quia, cum est exortus, obscuratis omnibus solus apparet." M. Capella, II, 188: "Solem te Latium uocitat quod solus honore | post patrem sis lucis apex." Macrobius, *Saturn.* I, c. 17, § 8: "nam et latinitas eum qui tantam claritatem solus optinuit, solem uocauit." Iul. Firmicus Maternus *de Err. prof. relig.* c. XVII, § 1: "ideo sol appellatur quia cum ortus fuerit obscuratis ceteris sideribus luceat solus." Sed nullatenus reuera connectuntur uoces *sol* et *solus*. *Sol* pendet a radice unde sanscr. *svar* (lucere), σείριος, σέλας, ἑλένη, *serenus*, quibus omnibus idea ardendi seu lucendi.

14 Deus uerus sol. Ita saepe et pagani et christiani. Epicteti *Diatr.* I, c. 14, §§ 9–10; Mal. IV, 2; Apoc. I, 16, etc.

PROSA III

Prouidentia diuina uidetur libertati hominum obstare

Nouus hic scrupulus.

§ 1 Tum ego: En, inquam, difficiliore rursus ambiguitate confundor. P. Quaenam, inquit, ista est? Iam enim
2 quibus perturbere coniecto. B. Nimium, inquam, aduersari ac repugnare uidetur praenoscere uniuersa deum et esse ullum libertatis arbitrium. Nam si cuncta prospicit deus, neque falli ullo modo potest, euenire necesse
3 est quod prouidentia futurum esse praeuiderit. Quare, si ab aeterno non facta hominum modo, sed etiam consilia uoluntatesque praenoscit, nulla erit arbitrii libertas; neque enim uel factum aliud ullum uel quaelibet exsistere poterit uoluntas nisi quam nescia falli prouidentia diuina praesenserit. Nam si aliorsum quam
4 prouisae sunt detorqueri ualent, non iam erit futuri firma praescientia, sed opinio potius incerta; quod de
5 deo credere nefas iudico. Neque enim illam probo rationem qua se quidam credunt hunc quaestionis nodum posse dissoluere. Aiunt enim non ideo quid esse euenturum quoniam id prouidentia futurum esse prospexerit, sed e contrario potius, quoniam quid futurum est id diuinam prouidentiam latere non posse, eoque modo necessarium hoc in contrariam relabi partem, neque enim necesse esse contingere quae prouidentur, sed necesse esse quae futura sunt prouideri.
6 Quasi uero quae cuius rei causa sit, praescientiane futurorum necessitatis an futurorum necessitas prouidentiae, laboretur, ac non illud demonstrare nitamur, quoquo modo sese habeat ordo causarum, necessarium

Quae praeuidet deus necesse est fieri.

Nec iuuat dicere deum ea praeuidere quia futura sint.

Pr. III, 26 *ac non*, Vall. Ob. *at nos*; Pp. *laboretur*. *Ac* (Eng. delet punctum, p. 50).

Pr. III, de prouidentia diuina componenda cum humana libertate, cfr. *Ciu. Dei*, V, 9–11.

§ 5 *quidam*. E.gr. Origenes ap. Euseb. *praep. euang.* VI, 11 (P.G. XXI, 492 A); Hieronymus in Ezechiel I, c. 2 (P.L. XXV, 33 B): "Non enim quia ille uentura cognoscit, necesse est nos facere quod ille praesciuit, sed quod nos propria uoluntate sumus facturi, ille nouit futurum quasi Deus" (Klingner, p. 97). Cfr. *Sum. theol.* I, q. XIV, art. 8, ad. 1.

esse euentum praescitarum rerum, etiam si praescientia futuris rebus eueniendi necessitatem non uideatur in-
7 ferre. Etenim si quispiam sedeat, opinionem quae eum sedere coniectat ueram esse necesse est; atque e conuerso rursus, si de quopiam uera sit opinio quoniam sedet, eum sedere necesse est. In utroque igitur necessitas inest, in hoc quidem sedendi, at uero in altero
8 ueritatis. Sed non idcirco quisque sedet quoniam uera est opinio, sed haec potius uera est quoniam quempiam sedere praecessit. Ita cum causa ueritatis ex altera parte procedat, inest tamen communis in utraque necessitas.

Sic non minus sequitur necessitas.

9 Similia de prouidentia futurisque rebus ratiocinari patet. Nam etiam si idcirco quoniam futura sunt prouidentur, non uero ideo quoniam prouidentur eueniunt; nihilo minus tamen ab deo uel uentura prouideri uel prouisa necesse est euenire praeuisa, quod ad peri-
10 mendam arbitrii libertatem solum satis est. Iam uero quam praeposterum est ut aeternae praescientiae temporalium rerum euentus causa esse dicatur. Quid est autem aliud arbitrari ideo deum futura, quoniam sunt euentura, prouidere, quam putare quae olim acciderunt causam summae illius esse prouidentiae?

Res praescita nequit deficere

11 Ad haec, sicuti cum quid esse scio id ipsum esse necesse est, ita cum quid futurum noui, id ipsum futurum esse necesse est. Sic fit igitur ut euentus praescitae

Secus errat praescientia.

12 rei nequeat euitari. Postremo, si quid aliquis aliorsum atque sese res habet existimet, id non modo scientia non est, sed est opinio fallax ab scientiae ueritate longe diuersa. Quare si quid ita futurum est ut eius certus ac necessarius non sit euentus, id euenturum esse prae-
13 sciri qui poterit? Sicut enim scientia ipsa impermixta est falsitati, ita id quod ab ea concipitur esse aliter atque concipitur nequit. Ea namque causa est cur mendacio scientia careat, quod se ita rem quamque habere necesse
14 est, uti eam sese habere scientia comprehendit. Quid

---

43 *praeuisa* Eng. (p. 48); om. Pp. Ob. *quam sese.* 54 *atque sese*, Vall.

---

§ 9 *praeuisa*, sc. quoniam praeuisa sunt.

igitur? Quonam modo deus haec incerta futura praenoscit? Nam si ineuitabiliter euentura censet quae etiam non euenire possibile est, fallitur; quod non sen- 65
15 tire modo nefas est, sed etiam uoce proferre. At si ita uti sunt, ita ea futura esse decernit, ut aeque uel fieri ea uel non fieri posse cognoscat, quae est haec praescientia, quae nihil certum, nihil stabile comprehendit? Aut quid hoc refert uaticinio illo ridiculo Tiresiae: 70
16 Quidquid dicam aut erit aut non? Quid etiam diuina prouidentia humana opinione praestiterit, si uti homines incerta iudicat quorum est incertus euentus? Quod si apud illum rerum omnium certissimum fontem nihil incerti esse potest, certus eorum est euentus quae futura 75
17 firmiter ille praescierit. Quare nulla est humanis consiliis actionibusque libertas, quas diuina mens sine falsitatis errore cuncta prospiciens ad unum alligat et constringit euentum.

Quomodo potest deus incerta certe praeuidere?

18 Quo semel recepto, quantus occasus humanarum 80 rerum consequatur liquet. Frustra enim bonis malisque praemia poenaeue proponuntur, quae nullus meruit
19 liber ac uoluntarius motus animorum. Idque omnium uidebitur iniquissimum quod nunc aequissimum iudicatur, uel puniri improbos uel remunerari probos, quos 85 ad alterutrum non propria mittit uoluntas, sed futuri cogit certa necessitas. Nec uitia igitur nec uirtutes quidquam fuerint; sed omnium meritorum potius mixta
20 atque indiscreta confusio. Quoque nihil sceleratius excogitari potest, cum ex prouidentia rerum omnis ordo 90 ducatur, nihilque consiliis liceat humanis, fit ut uitia quoque nostra ad bonorum omnium referantur auctorem.
21 Igitur nec sperandi aliquid nec deprecandi ulla ratio est. Quid enim uel speret quisque uel etiam deprecetur,

Ergo inania praemia, poenae, spes, preces.

---

67 *ita ea futura*, sic et Eng. (p. 22); Obb. om. *ita*. 72 *humana opinione*, Vall. *humanae opinioni*. 94 *quisque*, Vall. Ob. *quisquam*.

---

§ 15 *refert*, sc. differt, sic supra II, pr. III, § 11.
Horati *Sat.* II, 5, 59:
"O Laertiade, quidquid dicam aut erit aut non:
diuinare etenim magnus mihi donat Apollo."

quando optanda omnia series indeflexa conectit? Au- 95
feretur igitur unicum illud inter homines deumque
22 commercium, sperandi scilicet ac deprecandi. Si qui-
dem iustae humilitatis pretio inaestimabilem uicem
diuinae gratiae promeremur, qui solus modus est quo
cum deo colloqui homines posse uideantur, illique in- 100
accessae luci prius quoque quam impetrent ipsa sup-
plicandi ratione coniungi; quae si recepta futurorum
necessitate nihil uirium habere credantur, quid erit quo
summo illi rerum principi conecti atque adhaerere
23 possimus? Quare necesse erit humanum genus, uti 105
paulo ante cantabas, dissaeptum atque disiunctum suo
fonte fatiscere.

METRVM III

Mentem latet nexus inter prouidentiam et liberum arbitrium

Quaenam discors foedera rerum
causa resoluit? Quis tanta deus
ueris statuit bella duobus,
ut quae carptim singula constent
5 eadem nolint mixta iugari?
An discordia nulla est ueris
semperque sibi certa cohaerent?
Sed mens caecis obruta membris
nequit oppressi luminis igne
10 rerum tenues noscere nexus.
Sed cur tanto flagrat amore
ueri tectas reperire notas?
Scitne quod appetit anxia nosse?

M. III, 6 Ob. *An nulla est discordia ueris.*

---

§ 22 *inaestimabilem uicem diuinae gratiae.* Thomas Hodgkin notat sonum christianum huius loci conspicuum (*Italy and her Invaders*, tom. III, p. 563, n. 1).

§ 23 *paulo ante cantabas*, sc. IV, m. VI, 45.

Metrum III: anap. dimetr. (=I, 5, q.u.):

⏑⏑ – | ⏑⏑ – | – ⏑⏑ | – ⏒;

irregulare. Vltimus uersus adonius.

11–12 Platonis *Meno*, 80 D–81 A.

Sed quis nota scire laborat?
At si nescit, quid caeca petit?
Quis enim quidquam nescius optet,
aut quis ualeat nescita sequi
quoue inueniat? quis repertam
queat ignarus noscere formam?
An cum mentem cerneret altam,
pariter summam et singula norat?
Nunc membrorum condita nube
non in totum est oblita sui,
summamque tenet singula perdens.
Igitur quisquis uera requirit,
neutro est habitu. Nam neque nouit
nec penitus tamen omnia nescit;
sed quam retinens meminit summam
consulit alte uisa retractans,
ut seruatis queat oblitas
addere partes.

PROSA IV

Incipit solutio argumentorum. Comprehenditur obiectum secundum facultatem comprehendentis

Diu celeber scrupulus.

§ 1 Tum illa: Vetus, inquit, haec est de prouidentia querela, Marcoque Tullio, cum diuinationem distribuit, uehementer agitata, tibique ipsi res diu prorsus multumque quaesita; sed haud quaquam ab ullo uestrum hactenus
2 satis diligenter ac firmiter expedita. Cuius caliginis

18 *quis* Ob. Eng. (p. 56); Vall. Pp. *quisue*; alii *quisque* (Pp. n.).

Pr. IV, § 1 *Marcus Tullius, de Diuin.* II, 7, § 18: "Nihil enim est tam contrarium rationi et constantiae quam fortuna, ut mihi ne in deum quidem cadere uideatur, ut sciat, quid casu et fortuito futurum sit. Si enim scit, certe illud eueniet; sin certe eueniet, nulla fortuna est. Est autem fortuna; rerum igitur fortuitarum nulla praesensio est." August. *Ciu. Dei*, V, 9: "Ipse (Cicero) itaque ut uir magnus et doctus et uitae humanae plurimum ac peritissime consulens ex his duobus (praescientia Dei et libero nostro arbitrio) elegit liberum uoluntatis arbitrium; quod ut confirmaretur, negauit praescientiam futurorum, atque ita, dum uult facere liberos, facit sacrilegos."

causa est, quod humanae ratiocinationis motus ad diuinae praescientiae simplicitatem non potest admoueri, quae si ullo modo cogitari queat, nihil prorsus relinquetur ambigui. Quod ita demum patefacere atque expedire temptabo, si prius ea quibus moueris expendero.

Validum est argumentum res ideo praeuideri quia futurae sint.

3 Quaero enim cur illam soluentium rationem minus efficacem putes, quae quia praescientiam non esse futuris rebus causam necessitatis existimat, nihil impediri praescientia arbitrii libertatem putat. Num enim tu aliunde argumentum futurorum necessitatis trahis, nisi quod ea quae praesciuntur non euenire non possunt? 4 Si igitur praenotio nullam futuris rebus adicit necessitatem, quod tu etiam paulo ante fatebare, quid est quod uoluntarii exitus rerum ad certum cogantur euentum? Etenim positionis gratia, ut quid consequatur aduertas, statuamus nullam esse praescientiam. Num igitur quantum ad hoc attinet, quae ex arbitrio eueniunt ad 5 necessitatem cogantur? B. Minime. P. Statuamus iterum esse, sed nihil rebus necessitatis iniungere; manebit, ut opinor, eadem uoluntatis integra atque absoluta libertas.

Praescientia signum obiecti praesciti.

6 Sed praescientia, inquies, tametsi futuris eueniendi necessitas non est, signum tamen est necessario ea esse uentura. Hoc igitur modo, etiam si praecognitio non fuisset, necessarios futurorum exitus esse constaret.

Signum non mutat naturam obiecti, sed ostendit quale sit.

7 Omne etenim signum tantum quid sit ostendit; non uero efficit quod designat. Quare demonstrandum prius est nihil non ex necessitate contingere, ut praenotionem signum esse huius necessitatis appareat. Alioquin, si haec nulla est, ne illa quidem eius rei signum poterit

Si obiectum necessarium signum ostendit necessitatem, non secus.

8 esse quae non est. Iam uero probationem firma ratione subnixam constat non ex signis, neque petitis extrinsecus argumentis, sed ex conuenientibus necessariisque 9 causis esse ducendam. Sed qui fieri potest ut ea non proueniant quae futura esse prouidentur? Quasi uero nos ea quae prouidentia futura esse praenoscit non esse euentura credamus, ac non illud potius arbitremur, licet eueniant, nihil tamen ut euenirent sui natura necessi-

Quae praeuidentur fient, aut necessario aut libere.

§ 4 *positionis gratia*, sc. argumenti gratia supponamus quod sequitur.

10 tatis habuisse; quod hinc facile perpendas licebit. Plura etenim dum fiunt subiecta oculis intuemur; ut ea quae in quadrigis moderandis atque flectendis facere spec- 11 tantur aurigae, atque ad hunc modum cetera. Num igitur quidquam illorum ita fieri necessitas ulla compellit? B. Minime. Frustra enim esset artis effectus, si omnia coacta mouerentur. P. Quae igitur cum fiunt carent exsistendi necessitate, eadem prius quam fiant 12 sine necessitate futura sunt. Quare sunt quaedam euentura quorum exitus ab omni necessitate sit absolutus. Nam illud quidem nullum arbitror esse dicturum, quod quae nunc fiunt, prius quam fierent euentura non fuerint. Haec igitur etiam praecognita liberos habent 13 euentus. Nam sicut scientia praesentium rerum nihil his quae fiunt, ita praescientia futurorum nihil his quae uentura sunt necessitatis importat.

Spectator non reddit quae uidet necessaria.

14 Sed hoc, inquis, ipsum dubitatur, an earum rerum quae necessarios exitus non habent ulla possit esse praenotio. Dissonare etenim uidentur, putasque si praeuideantur consequi necessitatem, si necessitas desit minime praesciri, nihilque scientia comprehendi posse nisi certum; quod si quae incerti sunt exitus ea quasi certa prouidentur, opinionis id esse caliginem, non 15 scientiae ueritatem. Aliter enim ac sese res habeat arbitrari ab integritate scientiae credis esse diuersum.

Nonne scientiae obiectum semper necessarium?

---

65 *id esse*, Vall. *constat id esse*.

---

§ 10 Quae uides non eatenus fiunt necessaria. Cfr. infra, v, pr. vi, § 15 (p. 160). *Sum. theol.* i, q. xiv, art. 13: "Sic (contingens) infallibiliter subdi potest certae cognitioni, utpote sensui uisus; sicut cum uideo Socratem sedere." Cfr. i, q. lxxxvi, art. 3; *c. Gentes*, i, cap. 67; i *Sent.* dist. xxxviii, art. 5; epistolam s. Thomae *ad Bernardum* quam citat Murari, p. 327: "Manifestum est autem quod ex hoc quod uideo aliquem sedere nulla ingeritur ei necessitas sessionis" (de qua epistola cfr. M. Grabmann, "Die Echten Schriften des Hl. Thomas von Aquin" (*Beiträge zur Gesch. der Phil. des Mittelalters*, Bd. xxii, Heft. 1–2, Münster, 1920, pp. 238–240)).
Par. xvii, 40–42:

> "Necessità però quindi non prende,
> se non come dal viso in che si specchia
> nave che per corrente giù discende."

Cuius erroris causa est, quod omnia quae quisque nouit ex ipsorum tantum ui atque natura cognosci aestimat quae sciuntur. Quod totum contra est.

Obiectum comprehenditur secundum facultatem comprehendentis.

16 Omne enim quod cognoscitur non secundum sui uim sed secundum cognoscentium potius comprehenditur
17 facultatem. Nam, ut hoc breui liqueat exemplo, eandem corporis rotunditatem aliter uisus aliter tactus agnoscit. Ille eminus manens totum simul iactis radiis intuetur; hic uero cohaerens orbi atque coniunctus circa ipsum motus ambitum rotunditatem partibus comprehendit.

Sensus, imaginatio, ratio, intellegentia.

18 Ipsum quoque hominem aliter sensus, aliter imaginatio, aliter ratio, aliter intellegentia contuetur. Sensus enim figuram in subiecta materia constitutam; imaginatio
19 uero solam sine materia iudicat figuram. Ratio uero hanc quoque transcendit, speciemque ipsam quae singularibus inest uniuersali consideratione perpendit. Intellegentiae uero celsior oculis exsistit; supergressa namque uniuersitatis ambitum, ipsam illam simplicem
Superior facultas cognoscendi amplectitur inferiorem; non ita inferior superiorem.
20 formam pura mentis acie contuetur. In quo illud maxime considerandum est: nam superior comprehen-

§ 16 Est notum axioma: "Quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur." Ita Aquinas, *c. Gentes*, II, cap. 50: "Omne quod est in aliquo est in eo per modum recipientis"; in specie de facultate cognoscitiua, *Sum. theol.* I, q. XII, art. 4: "Cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscentis"; et I, q. LXXXV, art. 1: "Obiectum cognoscibile proportionatur uirtuti cognoscitiuae." Cfr. I, q. LXXXIV, art. 1, corp. in fine; *de Verit.* q. X, art. 4. Paschasius Radbertus fere citat Boethium, *de Fide, Spe et Car.* I, c. 8, § 1: "Liquet omne quod scitur, quia non ex sua sed ex comprehendentium natura cognoscitur" (P.L. CXX, 1406 D). Locum Boethi citat ac exponit Alexander Halensis, *Vn. theol. sum.* I, q. VII, membr. 2 (ed. cit. tom. I, p. 29), et I, q. XXII, m. 4, art. 6 (ib. p. 129).

§ 18 Quattuor has facultates sumit ex Aristotele, qui *de Anima*, III, c. 3, §§ 3–4 distinguit inter τὸ αἰσθάνεσθαι (sensum), τὸ φρονεῖν (rationem), τὸ νοεῖν (intellegentiam), τὴν φαντασίαν (imaginationem). Bekker, 427 B, ll. 6–24.

§ 19 distinguit rationem ab intellegentia. Cfr. infra V, pr. V, § 3 (p. 154) ubi intellegentiam soli tribuit Deo. Hic tamen eam et homini uidetur concedere. Pariter Hugo a s. Victore distinguit intellectum ab intellegentia: "Intellegentia ea uis animae est quae immediate supponitur Deo" (*de Spiritu et Anima*, c. 11, inter opp. Augustini, P.L. XL, 787). Iterum: "Intellegentia namque animae uis est quae immediate Deo supponitur" (c. 5, ib. 783).

dendi uis amplectitur inferiorem, inferior uero ad su-
21 periorem nullo modo consurgit. Neque enim sensus
aliquid extra materiam ualet, uel uniuersales species
imaginatio contuetur, uel ratio capit simplicem formam;
sed intellegentia quasi desuper spectans concepta forma
quae subsunt etiam cuncta diiudicat, sed eo modo quo
formam ipsam, quae nulli alii nota esse poterat, com-
22 prehendit. Nam et rationis uniuersum et imaginationis
figuram et materiale sensibile cognoscit, nec ratione
utens nec imaginatione nec sensibus; sed illo uno ictu
mentis formaliter, ut ita dicam, cuncta prospiciens.
23 Ratio quoque cum quid uniuersale respicit, nec imagina-
tione nec sensibus utens imaginabilia uel sensibilia
comprehendit. Haec est enim quae conceptionis suae
uniuersale ita definiuit: homo est animal bipes rationale.
24 Quae cum uniuersalis notio sit, tum imaginabilem sensi-
bilemque esse rem nullus ignorat, quod illa non imagina-
tione uel sensu, sed in rationali conceptione considerat.
Imaginatio quoque, tametsi ex sensibus uisendi for-
mandique figuras sumpsit exordium, sensu tamen ab-
sente sensibilia quaeque conlustrat, non sensibili sed
imaginaria ratione iudicandi.
25 Videsne igitur ut in cognoscendo cuncta sua potius
facultate quam eorum quae cognoscuntur utantur?
Neque id iniuria: nam cum omne iudicium iudicantis
actus exsistat, necesse est ut suam quisque operam non
ex aliena sed ex propria potestate perficiat.

METRVM IV

Mens alia apprehendit praeter obiectum sensuum

Quondam porticus attulit
obscuros nimium senes,

---

102 *definiuit*, Vall. *definit*. 105 *in* Vall. om.

Metrum IV glyconium:

⏑̯ – | – ⏑⏑ | – ⏑⏒

1 *porticus*, *στοά*, sc. schola Stoicorum qui docent omnes ideas a sensibus imprimi menti. Plutarchus *de Placitis Philos.* IV, 11: Οἱ Στωικοί *φασιν· ὅταν γεννηθῇ ὁ ἄνθρωπος ἔχει τὸ ἡγεμονικὸν μέρος τῆς ψυχῆς ὥσπερ χάρτην εὐεργὸν εἰς ἀπο-*

qui sensus et imagines
e corporibus extimis
credant mentibus imprimi,
ut quondam celeri stilo
mos est aequore paginae
quae nullas habeat notas
pressas figere litteras.
Sed mens si propriis uigens
nihil motibus explicat,
sed tantum patiens iacet
notis subdita corporum,
cassasque in speculi uicem
rerum reddit imagines,
unde haec sic animis uiget
cernens omnia notio?
Quae uis singula perspicit
aut quae cognita diuidit?
Quae diuisa recolligit,
alternumque legens iter
nunc summis caput inserit,
nunc decedit in infima,

M. IV, 23 *decedit*, Vall. Ob. *desidit*.

γραφήν. Εἰς τοῦτο μίαν ἑκάστην τῶν ἐννοιῶν ἐναπογράφεται. Πρῶτος δ' ὁ τῆς ἀναγραφῆς τρόπος ὁ διὰ τῶν αἰσθήσεων (ed. G. N. Bernardakis, Teubn. 1893, tom. v, p. 338).
Origenes *contra Celsum*, VII, 37: τοῖς ἀναιροῦσι νοητὰς οὐσίας Στωικοῖς περὶ τοῦ αἰσθήσεσιν καταλαμβάνεσθαι τὰ καταλαμβανόμενα καὶ πᾶσαν κατάληψιν ἠρτῆσθαι τῶν αἰσθήσεων (ed. Koetschau, Berol. 1899, II, p. 187).
Cicero exponit systema Stoicorum, cui opponit platonicum, *Academ. prior.* II, cap. 13–14 (§§ 40–45). Cfr. et E. Zeller, *Die Philosophie der Griechen* (ed. 3, Lipsiae, 1880), Th. III, Abt. I, pp. 70–76.

3–4 *sensus et imagines e corporibus*. Aug. *Ciu. Dei*, VIII, c. 7: "Stoici, qui cum uehementer amauerint sollertiam disputandi quam dialecticam nominant, a corporis sensibus eam ducendam putarunt, hinc asseuerantes animum concipere notiones." Vt Boethius ita et Augustinus hic multum potiorem Platonis habet sententiam.

4 *corpŏribus*, mendum auctoris.

14 Cfr. Lucret. *de Rer. nat.* IV, 127–128:
"Quin potius noscas rerum simulacra uagari
multa modis multis nulla ui cassaque sensu."

22–25 Hugo a s. Victore *de Spiritu et Anima*, c. 11: "Mens nunc

tum sese referens sibi
ueris falsa redarguit?
Haec est efficiens magis
longe causa potentior
quam quae materiae modo
impressas patitur notas.
Praecedit tamen excitans
ac uires animi mouens
uiuo in corpore passio,
cum uel lux oculos ferit
uel uox auribus instrepit.
Tum mentis uigor excitus
quas intus species tenet
ad motus similes uocans
notis applicat exteris,
introrsumque reconditis
formis miscet imagines.

PROSA V

Non neganda praenotio diuina propter imbecillitatem nostri intellectus

Animus non pendet a sensu dum iudicat de obiecto.

§ 1 Quod si in corporibus sentiendis, quamuis afficiant instrumenta sensuum forinsecus obiectae qualitates, animique agentis uigorem passio corporis antecedat, quae in se actum mentis prouocet, excitetque interim quiescentes intrinsecus formas; si in sentiendis, inquam, corporibus animus non passione insignitur, sed ex sua ui subiectam corpori iudicat passionem, quanto magis ea quae cunctis corporum affectionibus absoluta sunt, in discernendo non obiecta extrinsecus sequuntur, sed actum suae mentis expediunt?

caput summis inserit, nunc decidit in infimis, nunc sese inferens sibi ueris falsa redarguit" (P.L. XL, 787).

Pr. V, § 1 Sensibile excitat formam mentis. *Purg.* XVIII, 22–24:

"Vostra apprensiva da esser verace
tragge intenzione, e dentro a voi la spiega,
sí che l' animo ad essa volger face."

Cfr. *Par.* IV, 41–42.

Varii modi cognitionis insunt in uariis creaturis.

2 Hac itaque ratione multiplices cognitiones diuersis ac differentibus cessere substantiis. Sensus enim solus cunctis aliis cognitionibus destitutus immobilibus animantibus cessit, quales sunt conchae maris, quaeque 3 alia saxis haerentia nutriuntur. Imaginatio uero mobilibus beluis, quibus iam inesse fugiendi appetendiue aliquis uidetur affectus. Ratio uero humani tantum generis est, sicut intellegentia sola diuini; quo fit ut ea notitia ceteris praestet, quae suapte natura non modo proprium sed ceterarum quoque notitiarum subiecta cognoscit.

Intellegentia soli deo competit.

Sensus et imaginatio non apprehendunt uniuersalia.

4 Quid igitur, si ratiocinationi sensus imaginatioque refragentur, nihil esse illud uniuersale dicentes, quod sese intueri ratio putet? Quod enim sensibile uel imaginabile est, id uniuersum esse non posse; aut igitur rationis uerum esse iudicium, nec quidquam esse sensibile, aut, quoniam sibi notum sit plura sensibus et imaginationi esse subiecta, inanem conceptionem esse rationis, quae quod sensibile sit ac singulare quasi 5 quiddam uniuersale consideret. Ad haec, si ratio contra respondeat se quidem et quod sensibile et quod imaginabile sit in uniuersitatis ratione conspicere, illa uero ad uniuersitatis cognitionem adspirare non posse, quoniam eorum notio corporales figuras non posset excedere, de rerum uero cognitione firmiori potius perfectioriique 6 iudicio esse credendum? In huiusmodi igitur lite nos, quibus tam ratiocinandi quam imaginandi etiam sentien-

30 *quiddam*, Vall. *quoddam*. 34 *posset*, Ob. *possit*.

§ 3 Mira uidetur distinctio inter rationem humani generis et intellegentiam quae sit solius Dei. Hugo a s. Victore memorat sententiam auctoris: "Boethius tamen dicit intelligentiam solius Dei esse et admodum paucorum hominum" (in libro *de Spiritu et Anima*, inter opera Augustini, c. 37; P.L. XL, 808). Bene Petrus Cally ad locum: "Si denique ratio fuerit in homine, ut reuera est, cur non eodem fuerit intelligentia? Cum ratio non sit sine iudicio, nec iudicium sine intelligentia Nisi tamen nominata intelligentia Philosophia uoluerit intelligi notionem a nullo acceptam et infinitam: haec enim intelligentia solius Dei est" (P.L. LXIII, 854 D). Cfr. supra, V, pr. IV, §§ 18, 19 (p. 150).

dique uis inest, nonne rationis potius causam probaremus?

7 Simile est quod humana ratio diuinam intellegentiam futura, nisi ut ipsa cognoscit, non putat intueri. Nam ita disseris: Si qua certos ac necessarios habere non uideantur euentus, ea certo euentura praesciri nequeunt. Harum igitur rerum nulla est praescientia, quam si etiam in his esse credamus, nihil erit quod non ex 8 necessitate proueniat. Si igitur, uti rationis participes sumus, ita diuinae iudicium mentis habere possimus, sicut imaginationem sensumque rationi cedere oportere iudicauimus, sic diuinae sese menti humanam submit- 9 tere rationem iustissimum censeremus. Quare in illius summae intellegentiae cacumen, si possumus, erigamur; illic enim ratio uidebit quod in se non potest intueri, id autem est, quonam modo etiam quae certos exitus non habent, certa tamen uideat ac definita praenotio; neque id sit opinio, sed summae potius scientiae nullis terminis inclusa simplicitas.

Ratio humana non attingit obiectum diuinae intellegentiae.

METRVM V

Solus homo erectus caelum aspicit

Quam uariis terras animalia permeant figuris;
namque alia extento sunt corpore pulueremque uerrunt,
continuumque trahunt ui pectoris incitata sulcum;
sunt quibus alarum leuitas uaga uerberetque uentos,
5 et liquido longi spatia aetheris enatet uolatu.
Haec pressisse solo uestigia gressibusque gaudent,

47 *possimus*, Vall. Ob. *possemus*.

§ 9 *summae intellegentiae cacumen.* Hildebrand (p. 142) putat hoc cacumen esse theologiam; negat Semeria (p. 103).

Metrum V archilochium maius (Hor. *Carm.* I, 4):

– ⏑⏑ | – ⏑⏑ | – ⏑⏑ | – ⏑ || – ⏑ | – ⏑ | – ⏑

1 Cfr. Alcimi Auiti poem. lib. I, *de Mundi initio*, 30–31:
"Protenus in taetras animalia multa figuras
surgunt et uacuum discurrunt bruta per orbem"
(ed. R. Peiper (*Monum. Germ. Hist. Auct. antiquiss.* Tom. VI, p. 11, Berolini, 1883, p. 204)), P.L. LIX, 325 B.

4 Cfr. Min. Fel. *Octauium*, XVII, 10.

uel uirides campos transmittere, uel subire siluas.
Quae uariis uideas licet omnia discrepare formis,
prona tamen facies hebetes ualet ingrauare sensus.
Vnica gens hominum celsum leuat altius cacumen,
atque leuis recto stat corpore, despicitque terras.
Haec, nisi terrenus male desipis, admonet figura;
qui recto caelum uultu petis exserisque frontem,
in sublime feras animum quoque, ne grauata pessum
inferior sidat mens corpore celsius leuato.

9 *prona facies.* Arist. *de Part. anim.* IV, c. 10: Διὸ πλείονος γινομένου τοῦ βάρους καὶ τοῦ σωματώδους ἀνάγκη ῥέπειν τὰ σώματα πρὸς τὴν γῆν (Bekker, I, 686, col. 1, ll. 31–33). Sallusti *Catil.* I: "Pecora quae natura prona atque uentri oboedientia finxit."

10–11 Cfr. Arist. loc. cit. (Ἄνθρωπος) ὀρθὸς μὲν γάρ ἐστι μόνος τῶν ζῴων διὰ τὸ τὴν φύσιν αὐτοῦ καὶ τὴν οὐσίαν εἶναι θείαν. Philo, *Quod deterius potiori insidiari soleat*, § 85: Μόνον γὰρ δὴ τῶν ἐπὶ γῆς φυτὸν οὐράνιον ὁ θεὸς ἄνθρωπον εἰργάσατο, τῶν μὲν ἄλλων τὰς κεφαλὰς πηξάμενος ἐν χέρσῳ, κατωκάρα γὰρ πάντα, ἄνθρωπον δὲ εἰς τὸ ἄνω προαγαγών, ἵνα τὰς τροφὰς ὀλυμπίους καὶ ἀφθάρτους, ἀλλὰ μὴ γεώδεις καὶ φθαρτὰς ἔχοι (ed. L. Cohn et P. Wendland, Berolini, 1896, ed. minoris I, pp. 257–258). Cicero *de Legibus*, I, cc. 8–9 (§ 26): "Nam cum ceteras animantes abiecisset ad pastum, solum hominem (natura) erexit et ad caeli quasi cognationis domiciliique pristini conspectum excitauit."

Metam. I, 84–86:

> "Pronaque cum spectent animalia cetera terram,
> os homini sublime dedit caelumque uidere
> iussit et erectos ad sidera tollere uultus."

Silius Italicus, *Punic.* XV, 84–87:

> "Nonne uides, hominum ut celsos ad sidera uultus
> sustulerit deus ac sublimia finxerit ora,
> cum pecudes uolucrumque genus formasque ferarum
> segnem atque obscenam passim strauisset in aluum?"

Min. Felix, *Oct.* XVII, 11: "Ipsa praecipue formae nostrae pulchritudo deum fatetur artificem: status rigidus, uultus erectus, oculi in summo uelut in specula constituti."

Vnde saepe solebat ἄνθρωπος enodari ac si deriuaretur ex ἄνω cum ἀθρεῖν. Lactantius *de diuin. institut.* II, c. 1: "Hinc utique ἄνθρωπον graeci appellarunt quod sursum spectet." Sed probabilius re uera ἄνθρωπος fit e uocibus ἀνήρ et ὤψ.

De hominis statu erecto alios locos habes multos; sint exemplo Platonis *Timaeus*, 47 B; Manili *Astronom.* IV, 905–910; Lactanti *de diu. inst.* VII, 9 et *de ira Dei*, cap. VII et XIV; Basili *in Hexaemeron* Hom. IX (ed. Gaume, Parisiis, 1839, Tom. I, pp. 114–115, seu Garnier, 81 E).

14–15 Cfr. Phil. III, 19: οἱ τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες.

PROSA VI

Omnia praesentia aeterno deo

Status Dei.

§ 1 Quoniam igitur, uti paulo ante monstratum est, omne quod scitur non ex sua sed ex conprehendentium natura cognoscitur, intueamur nunc, quantum fas est, quis sit diuinae substantiae status, ut quaenam etiam scientia eius sit, possimus agnoscere.

Definitio aeternitatis.

2 Deum igitur aeternum esse cunctorum ratione degentium commune iudicium est. Quid sit igitur aeternitas consideremus. Haec enim nobis naturam pariter diuinam scientiamque patefacit. Aeternitas igitur est interminabilis uitae tota simul et perfecta possessio,

Aeternus deus non procedit a praeteritis in futura.

3 quod ex collatione temporalium clarius liquet. Nam quidquid uiuit in tempore, id praesens a praeteritis in futura procedit; nihilque est in tempore constitutum quod totum uitae suae spatium pariter possit amplecti. Sed crastinum quidem nondum adprehendit, hesternum uero iam perdidit; in hodierna quoque uita non amplius uiuitis quam in illo mobili transitorioque momento.

Mundus etsi semper maneret non esset aeternus.

4 Quod igitur temporis patitur condicionem, licet illud, sicuti de mundo censuit Aristoteles, nec coeperit umquam esse nec desinat, uitaque eius cum temporis

---

Pr.VI,9 *patefacit* Ob.Eng.(p.49); Vall. *patefecerit*; Pp. *patefecit*.

Pr. VI, § 2 Celeberrimam hanc aeternitatis definitionem fere omnes philosophi per medium aeuum suam faciunt ac exponunt. Albertus Magnus iterum iterumque citat, exponit defendit solutis obiectionibus; e.gr. *Phys.* IV, tract. IV, cap. 2 (ed. Borgnet, tom. III, p. 347), *Sum. de creaturis*, tract. II, q. III, art. 2 (ib. tom. XXXIV, p. 340) et alibi. S. Thomas eam defendit toto primo articulo quaest. X primae partis *Summae theol.*; Alex. Halensis, *Vn. Theol. Sum.* I, q. XII, m. 3 (ed. cit. tom. I, p. 41), aliique innumeri. Ita iam Plotinus, *Ennead.*, III, lib. VII, c. 3 (Tb. I, p. 313): Γίνεται τοίνυν ἡ περὶ τὸ ὂν ἐν τῷ εἶναι ζωὴ ὁμοῦ πᾶσα καὶ πλήρης ἀδιάστατος πανταχῇ τοῦτο, ὃ δὴ ζητοῦμεν, αἰών. Cfr. et *Ennead.* III, lib. VII passim. Item Proclus *in Theol. Platonis*, III, c. 18 (ed. A. Portus, Hamburgi, 1618, p. 149). Cf. eiusdem *Instit. theol.* § 52 (ed. F. Dübner, cum Plotino, 1855, p. lxviii): πᾶν τὸ αἰώνιον ὅλον ἅμα ἐστίν, κ.τ.λ. Cfr. et §§ 53–56 (ib. pp. lxix–lxx).

§ 4 *Aristoteles.* Cfr. *de Caelo*, II, 1 (ed. Bekker, I, 283 B 26–284 B 5); *Phys.* VIII, 1 (ib. I, 251 A 8–B 15).

infinitate tendatur, nondum tamen tale est ut aeternum esse iure credatur. Non enim totum simul infinitae licet uitae spatium comprehendit atque complectitur;
5 sed futura nondum transacta iam non habet. Quod
Aeternitas natura differt a tempore. igitur interminabilis uitae plenitudinem totam pariter 25 comprehendit ac possidet, cui neque futuri quidquam absit nec praeteriti fluxerit, id aeternum esse iure perhibetur; idque necesse est et sui compos praesens sibi semper adsistere et infinitatem mobilis temporis habere
6 praesentem. Vnde non recte quidam qui, cum audiunt 30 uisum Platoni mundum hunc nec habuisse initium temporis nec habiturum esse defectum, hoc modo conditori conditum mundum fieri coaeternum putant.
7 Aliud est enim per interminabilem duci uitam, quod mundo Plato tribuit, aliud interminabilis uitae totam 35 pariter complexum esse praesentiam, quod diuinae
8 mentis proprium esse manifestum est. Neque deus conditis rebus antiquior uideri debet temporis quantitate, sed simplicis potius proprietate naturae.

---

37 *Neque*, Ob. *Neque enim.*

---

§ 5 Alb. Magn. *Sum. theol.* II, tract. I, q. 4: "Solius Dei est proprium, ut dicit Boethius in lib. V de Cons. Phil., in uno simplici nunc aeternitatis praesenti semper totum esse." Quod attinet notum axioma: "Nunc fluens facit tempus, nunc stans aeternitatem," nonnulla habes infra, n. 8.

§ 6 *Platoni.* Cfr. *Tim.* 28 B; 37 D: ποιεῖ μένοντος αἰῶνος ἐν ἑνὶ κατ' ἀριθμὸν ἰοῦσαν αἰώνιον εἰκόνα. Ib. 29 A. Sed de Platonis sententia uid. infra pp. 169 seq., ubi et de sententia Aristotelis, Boethi, Aquinatis, aliorum. Cfr. et supra pp. XL seq. Citat locum Aquinas, *Opusc.* XXIII, *De Aeternitate Mundi contra murmurantes* (ed. Parmana, 1865, tom. XVI, p. 320).

§ 7 *interminabilis uita* (mundi). *Polit.* 273 D–E: ἀθάνατον αὐτὸν (sc. mundum) καὶ ἀγήρων ἀπεργάζεται.

§ 8 *Neque deus conditis rebus antiquior.* Aug. *Ciu. Dei*, XI, cap. 5–6; *Conf.* XI, 13. Alb. Magn. *Phys.* VIII, tract. I, c. 3 (ed. Borgnet, tom. III, p. 550). Aquinas, *in* II *Sent.* dist. I, art. 5, ad 9; *Sum. theol.* I, q. XLVI, art. I, ad 8. Dantes, *Par.* XXIX, 16–21.
Aquinas pluries citat axioma: "Nunc fluens facit tempus, nunc stans facit aeternitatem," quod tribuit Boethio. *S. theol.* I, q. X, art. 2, obj. 1; Opusc. *de Tempore*, c. 4 (ed. Parmana, tom. XVII, p. 39). Verum illa ipsa uerba non inueniuntur apud Boethium. Similia habet *de Trin.* c. 4:

9 Hunc enim uitae immobilis praesentarium statum infinitus ille temporalium rerum motus imitatur; cumque eum effingere atque aequare non possit, ex immobilitate deficit in motum, ex simplicitate praesentiae decrescit in infinitam futuri ac praeteriti quantitatem; et cum totam pariter uitae suae plenitudinem nequeat possidere, hoc ipso quod aliquo modo numquam esse desinit, illud quod implere atque exprimere non potest aliquatenus uidetur aemulari, alligans se ad qualemcumque praesentiam huius exigui uolucrisque momenti; quae, quoniam manentis illius praesentiae quamdam gestat imaginem, quibuscumque contigerit id
10 praestat ut esse uideantur. Quoniam uero manere non potuit, infinitum temporis iter arripuit, eoque modo factum est ut continuaret eundo uitam, cuius plenitu-
11 dinem complecti non ualuit permanendo. Itaque, si digna rebus nomina uelimus imponere, Platonem sequentes deum quidem AETERNVM, mundum uero dicamus esse PERPETVVM.

Infinitus motus temporis.

Aeternitas et perpetuitas.

12 Quoniam igitur omne iudicium secundum sui naturam quae sibi subiecta sunt comprehendit, est autem deo semper aeternus ac praesentarius status; scientia quoque eius omnem temporis supergressa motionem in suae manet simplicitate praesentiae, infinitaque praeteriti ac futuri spatia complectens omnia quasi iam
13 gerantur in sua simplici cognitione considerat. Itaque,

Deus omnia, et futura, coram se praesentia uidet.

"nostrum nunc quasi currens tempus facit et sempiternum; diuinum uero nunc permanens, neque mouens sese atque consistens, aeternitatem facit" (P.L. LXIV, 1253 A–B). Cfr. Gilberti Porretani comment. in hunc locum (ib. 1288–1289). Cfr. et Anselmi *Monol.* c. 21 (P.L. CLVIII, 175 B) et *Proslog.* c. 19 (ib. 237 C).

§§ 9, 10 *Hunc enim uitae...iter arripuit.* Citat Alex. Hal. *Vn. Theol. Sum.* I, q. XII, m. 4, ad 3.

§ 11 *Deum...aeternum, mundum...perpetuum. Tim.* 37 D–38 B ubi haec distinctio aperte exponitur. Cfr. *Tim.* 27 D–28 A. Aug. *Ciu. Dei,* XII, 16; *in Ps.* CI, serm. II, § 6 (P.L. XXXVII, 1308) et § 10 (ib. 1314); *Conf.* XI, 13. Aquinas *de Causis,* II; *in* II *Sent.* dist. I, art. 5: "duratio diuina, quae est aeternitas, est tota simul, non autem duratio mundi, quae successione temporum uariatur. Et hanc ponit Boethius in quinto de Consolatione." Cfr. et Op. *de Tempore,* cap. 4.

si praesentiam pensare uelis qua cuncta dinoscit, non esse praescientiam quasi futuri, sed scientiam num-
Prouidet non praeuidet. 14 quam deficientis instantiae rectius aestimabis. Vnde non PRAEVIDENTIA sed PROVIDENTIA potius dicitur, quod porro ab rebus infimis constituta quasi ab excelso rerum cacumine cuncta prospiciat.

Visio rei ei non imponit necessitatem. 15 Quid igitur postulas ut necessaria fiant quae diuino lumine lustrentur; cum ne homines quidem necessaria faciant esse quae uideant? Num enim quae praesentia cernis, aliquam eis necessitatem tuus addit intuitus?

16 B. Minime. P. Atqui si est diuini humanique praesentis digna collatio, uti uos uestro hoc temporario praesenti quaedam uidetis, ita ille omnia suo cernit aeterno.

Deus omnia uidet ut sunt. 17 Quare haec diuina praenotio naturam rerum proprietatemque non mutat, taliaque apud se praesentia spectat
18 qualia in tempore olim futura prouenient. Nec rerum iudicia confundit, unoque suae mentis intuitu tam necessarie quam non necessarie uentura dinoscit; sicuti uos cum pariter ambulare in terra hominem et oriri in caelo solem uidetis, quamquam simul utrumque conspectum, tamen discernitis et hoc uoluntarium, illud esse necessarium iudicatis. Ita igitur cuncta despiciens diuinus intuitus qualitatem rerum minime perturbat, apud se quidem praesentium, ad condicionem uero
19 temporis futurarum. Quo fit ut hoc non sit opinio, sed ueritate potius nixa cognitio; cum exstaturum quid esse cognoscit quod idem exsistendi necessitate carere non nesciat.

---

83 *necessarie*, etc., Vall. *necessaria quam non necessaria.*

---

§ 13 *non...praescientiam...sed scientiam.* De Dei immutabilitate cfr. *Tim.* 38 A; Aug. *Ciu. Dei*, XI, 21. Cfr. et Greg. M. *Moralium* lib. XX, c. 32, § 63: "Et scimus quia Deo futurum nihil est, ante cuius oculos praeterita nulla sunt, praesentia non transeunt, futura non ueniunt, quippe quia omne quod nobis fuit et erit in eius conspectu praesto est; et omne quod praesens est scire potest potius quam praescire" (P.L. LXXV, 175 C).

§§ 15–35 Cfr. Aug. *de Ciu. Dei*, V, cc. 9–11, ubi omnia fere quae heic dicit Boethius.

§ 15 Visio rei non imponit ei necessitatem. Ita et supra, V. pr. IV, §§ 10 seq.; uideas et ibi citata.

Duplex necessitas, simplex et condicionis.

20 Hic si dicas, quod euenturum deus uidet id non euenire non posse, quod autem non potest non euenire, id ex necessitate contingere, meque ad hoc nomen necessitatis adstringas; fatebor rem quidem solidissimae ueritatis, sed cui uix aliquis nisi diuini speculator ac-
21 cesserit. Respondebo namque idem futurum, cum ad diuinam notionem refertur, necessarium, cum uero in sua natura perpenditur, liberum prorsus atque abso-
22 lutum uideri. Duae sunt etenim necessitates, simplex una, ueluti quod necesse est omnes homines esse mortales, altera condicionis, ut si aliquem ambulare scias,
23 eum ambulare necesse est. Quod enim quisque nouit, id esse aliter ac notum est nequit; sed haec condicio minime secum illam simplicem trahit. Hanc enim necessitatem non propria facit natura, sed condicionis
24 adiectio. Nulla enim necessitas cogit incedere uoluntate gradientem, quamuis eum tum cum graditur incedere necessarium sit. Eodem igitur modo, si quid prouidentia praesens uidet, id esse necesse est, tametsi
25 nullam naturae habeat necessitatem. Atqui deus ea futura quae ex arbitrii libertate proueniunt praesentia contuetur. Haec igitur ad intuitum relata diuinum necessaria fiant per condicionem diuinae notionis; per

---

109 *uoluntate*, Vall. *uoluntarie*. 110 *tum*, Vall. *tamen*.

---

§ 21 Ita et Iamblichus. Nam Ammonius *de Interpretatione* (scl. in opus aristotelicum), c. IX, proposita difficultate, dicit se respondere *κατὰ τὴν τοῦ θείου Ἰαμβλίχου ὑφήγησιν*. Tunc dicit res libere futuras esse quidem *ἀορίστους*, sed deos eas scire *ὡρισμένως* (*Comment. in Arist. graeca*, uol. IV, pars 5, ed. Adolfus Busse, Berolini, G. Reimer, 1897, pp. 135–136). Idem Proclus in *Plat. Theol.* IV, c. 5: *Ὅλως γὰρ οἱ θεοὶ τὰ τῇδε γινώσκουσιν, οὐ διὰ τῆς πρὸς αὐτὰ στροφῆς, ἀλλὰ τῶν τὰς αἰτίας αὐτῶν ἐν ἑαυτοῖς ἔχειν. Ἑαυτοὺς οὖν νοοῦντες καὶ ταῦτα κατ' αἰτίαν γινώσκουσι καὶ ποδηγετοῦσιν, οὐ βλέποντες εἰς αὐτά* (ed. Aem. Portus, p. 187). Cfr. et *Instit. Theol.* 124; et praesertim *de Prouidentia et Fato* (ed. Cousin, col. 193–195). Similia habet ipse Boethius *In Libr. de Interpretatione*, ed. sec. l. III (P.L. LXIV, 506). Cfr. Aug. *de lib. Arbitrio*, III, c. 3 (P.L. XXXII, 1273–1275); *Conf.* I, c. 6 (§ 9): "Apud te rerum omnium instabilium stant causae."

§ 22 *Duae necessitates*, scl. physica et logica. Aquinas, *Sum. theol.* I, q. XIV, art. 13, ad 2.

se uero considerata, ab absoluta naturae suae libertate
26 non desinunt. Fient igitur procul dubio cuncta quae futura deus esse praenoscit, sed eorum quaedam de libero proficiscuntur arbitrio; quae quamuis eueniant, exsistendo tamen naturam propriam non amittunt, qua priusquam fierent etiam non euenire potuissent.

Quod fit non fieri non potest, tamen potest libere fieri.

27 Quid igitur refert non esse necessaria, cum propter diuinae scientiae condicionem modis omnibus necessitatis instar eueniet? Hoc scilicet, quod ea quae paulo ante proposui, sol oriens et gradiens homo, quae dum fiunt, non fieri non possunt; eorum tamen unum prius quoque quam fieret, necesse erat exsistere, alterum uero
28 minime. Ita etiam quae praesentia deus habet, dubio procul exsistent; sed eorum hoc quidem de rerum necessitate descendit, illud uero de potestate facientium.
29 Haud igitur iniuria diximus haec si ad diuinam notitiam referantur necessaria, si per se considerentur necessitatis esse nexibus absoluta; sicuti omne quod sensibus patet, si ad rationem referas, uniuersale est, si ad se ipsa respicias, singulare.

Si mutas propositum deus et hoc praeuiderit.

30 Sed si in mea, inquies, potestate situm est mutare propositum, euacuabo prouidentiam, cum quae illa praenoscit forte mutauero. Respondebo: propositum te quidem tuum posse deflectere, sed quoniam et id te posse, et an facias, quoue conuertas, praesens prouidentiae ueritas intuetur, diuinam te praescientiam non

---

121 *qua*, Vall. *quae*. 130 *exsistent* Ob. Eng. (p. 49); Pp. *existunt* (grundfalsch, ait Eng.).

---

§ 27 *sol oriens et gradiens homo... alterum uero minime.* Cfr. supra, § 18 (p. 160). Comment. ad hoc Alex. Hal. *Vn. Theol. Sum.* I, q. XXIV, m. 4.

§ 29 *omne quod sensibus patet, si ad rationem referas, uniuersale est...* etc. Ita et *in Porphyrium a se translatum* lib. I circa finem (P.L. LXIV, 85 C): "Cogitantur uero uniuersalia, nihilque aliud species esse putanda est nisi cogitatio collecta ex indiuiduorum dissimilium numero substantiali similitudine... Sed haec similitudo cum in singularibus est, fit sensibilis: cum in uniuersalibus, fit intelligibilis; eodemque modo, cum sensibilis est, in singularibus permanet, cum intelligitur, fit uniuersalis." Ibidem negat se uelle diiudicare inter Platonis et Aristotelis sententiam (ib. 86 A). Attamen et hoc loco Aristotelis sententiam anteferre uidetur.

posse uitare; sicuti praesentis oculi effugere non possis intuitum, quamuis te in uarias actiones libera uoluntate
31 conuerteris. Quid igitur, inquies, ex meane dispositione scientia diuina mutabitur, ut cum ego nunc hoc nunc illud uelim, illa quoque noscendi uices alternare uidea-
32 tur? B. Minime. P. Omne namque futurum diuinus praecurrit intuitus, et ad praesentiam propriae cognitionis retorquet ac reuocat, nec alternat, ut aestimas, nunc hoc nunc illud praenoscendi uice, sed uno ictu mutationes tuas manens praeuenit atque complectitur.
33 Quam comprehendendi omnia uisendique praesentiam non ex futurarum prouentu rerum, sed ex propria deus
34 simplicitate sortitus est. Ex quo illud quoque resoluitur quod paulo ante posuisti, indignum esse, si scientiae dei causam futura nostra praestare dicantur. Haec enim scientiae uis praesentaria notione cuncta complectens rebus modum omnibus ipsa constituit, nihil uero posterioribus debet.

Nec mutabis diuinam scientiam.

Scientia dei secundum immutabilem eius simplicitatem.

35 Quae cum ita sint, manet intemerata mortalibus arbitrii libertas, nec iniquae leges solutis omni necessitate uoluntatibus praemia poenasque proponunt. Manet etiam spectator desuper cunctorum praescius deus, uisionisque eius praesens semper aeternitas cum nostrorum actuum futura qualitate concurrit, bonis praemia,
36 malis supplicia dispensans. Nec frustra sunt in deo positae spes precesque; quae cum rectae sunt, ineffi caces esse non possunt.

Sic concordat scientia dei cum libero nostro arbitrio.

---

147 *illud*, Ob. *aliud*.

---

§§ 31–35 Scientia Dei immutabilis. Cfr. Aquinatis *Sum. theol.* I, q. XIV, art. 15.

§ 35 *Manet intemerata . . . arbitrii libertas*. Dialogum scripsit Laurentius Valla de hoc loco, ubi B. uehementer impugnat (*de Libero Arbitrio ad Garsan Eppum*, Opp. Basileae, 1543, pp. 999–1010). Ita p. 1000: "In praesentiarum uero ostendere uolumus Boethium nulla alia causa nisi quod nimis philosophiae amator fuit, non eo modo quo debuit disputasse de libero arbitrio." Cfr. et infra pp. 182–3.

§ 36 *Nec frustra . . . in deo . . . spes precesque*. Cf. Apulei lib. *de Deo Socratis*, cap. V (Op. omn. ed. G. F. Hildebrand, Lipsiae, 1842, tom. II, p. 125).
Hierocles *de Prouid.* (Photi Biblioth. cod. 251, P.G. CIV,

Coram deo iudice agimus uitam.

37 Aduersamini igitur uitia, colite uirtutes, ad rectas 170
spes animum subleuate, humiles preces in excelsa porrigite. Magna uobis est, si dissimulare non uultis, necessitas indicta probitatis; cum ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis.

---

170 *Aduersamini*, Ob. *Auersamini*.

---

92 A): *οὐ μάτην οὖν...νόμοι κείσονται τοῖς ἀνθρώποις, οὐδὲ λογισμὸς εἰκῇ δέδοται, οὐδὲ τὸ βουλεύεσθαι παρέλκει, οὐδὲ τὸ εὔχεσθαι περιττόν, εἰ πρόνοια τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων ἡγοῖτο, νομῷ καὶ δίκῃ τὰς ἀμοιβὰς τῶν προαιρέσεων τάττουσα.*

§ 37 *Iudex cuncta cernit.*

Prudentius, *Cathemerinon* II, *Hymn. matutinus*, ll. 105–112:

Speculator astat desuper
qui nos diebus omnibus
actusque nostros prospicit
a luce prima in uesperum.

Hic testis, hic est arbiter,
hic intuetur quidquid est,
humana quod mens concipit;
hunc nemo fallit iudicem. (P.L. LIX, 796.)

§§ 36–37 Citat Gualterus ab Insulis, *Moralium Dogma* (ed. Thos. Sundby, *Brunetto Latinos Levnet og Skrifter*, Hauniae, 1869, in appendice), cap. XLV (ed. cit. pp. lxxxii–lxxxiii).

APPENDIX I

DE PROUIDENTIA ET FATO

In his quae de Prouidentia et Fato disputat noster[1], plura quidem inuenies dogmata Platonicorum. Immo huius capitis fontem praecipuum opuscula fuisse illa Procli: *De Prouidentia et Fato*[2] et *De Decem Dubitationibus circa Prouidentiam*[3] recte forsan dixeris. Nec tamen heic sistendum, quasi ipsum Platonicorum dogma suum omnino Boethius fecerit. Immo potius habemus heic eximium exemplum rationis illius agendi, quam Christianorum propriam esse supra[4] diximus, qua scilicet ea sola quae cum doctrina christiana componi queant e philosophis paganis desumantur.

Prouidentiam quidem a fato re haud differre doctrina fuit Stoicorum, qui, cum Deum mundo immanentem omnia ueluti permeare ducerent, diuinam illam uirtutem, quatenus omnia necessario perficeret, fatum, quatenus uero omnia bene disposita ad bonum ordinaret atque dirigeret, prouidentiam nuncupabant[5]. Vnde omnia plena esse prouidentia Marcus Aurelius[6], omnia in fato et iuxta fatum fieri[7], esse fatum "id quod semper ex omni aeternitate uerum" fuisset, Stoici dictitabant[8].

Neoplatonicis autem illud laudi iure uertitur quod a fato, seu causarum nexu necessitantium ipsis rebus ueluti inhaerente, diuinam prouidentiam ita seposuerint, ut superiora quidem seu intellectualia soli prouidentiae, inferiora autem seu sensibilia fato subiici dicerent. "Vna enim" ait Plotinus[9] "est super omnia prouidentia, fatum autem e deteriori procedit principio." "Ambo quidem" ait Proclus[10] "causas mundi et eorum quae in mundo fiunt, esse; praeexsistere autem prouidentiam fato, et omnia quidem quaecumque fiunt

[1] IV, pr. 6, §§ 5–19 (supra pp. 122–126).

[2] Edidit Victor Cousin, *Procli philosophi platonici opera inedita*, ed. 2 (Parisiis 1864).

[3] Ibid. [4] pp. xlii, xlviii. [5] Cf. Ueberweg, I, § 57. [6] II, 3.

[7] Pseudo-Plutarch. *de fato* c. XI iuxta Stoicos ait: *οὐ μόνον ἐν εἱμαρμένῃ, ἀλλὰ καὶ καθ' εἱμαρμένην πάντα τίθεται* (ed. Dübner, *Plut. Mor.* I, p. 693). Diogenes Laertius VII, c. 1 (Zeno), § 149 citat Chrysippum definientem fatum: *καθ' εἱμαρμένην δέ φησι τὰ πάντα γίνεσθαι Χρύσιππος ἐν τοῖς περὶ εἱμαρμένης...ἔστι δ' εἱμαρμένη αἰτία τῶν ὄντων εἱρομένη, ἢ λόγος καθ' ὃν ὁ κόσμος διεξάγεται.* Aliae definitiones fati citantur apud Arnim: *Stoicorum uetera fragmenta*, tom. II, num. 912–927. De prouidentia iuxta Stoicos cf. ibidem 1106–1126. E.g. Cicero *De Nat. Deorum*, III, c. 9 (seu § 92): "Vos (Stoici) enim ipsi dicere soletis...ut enim hominum membra nulla contentione mente ipsa ac uoluntate moueantur, sic numine deorum omnia fingi moueri mutarique posse."

[8] Cicero *De Nat. Deorum*, III, c. 6 (§ 14).

[9] *Enneades*, III, lib. III, c. 5 (ed. Didot, p. 136): *ἓν δὲ ἐκ πάντων, καὶ πρόνοια μία, εἱμαρμένη δὲ ἀπὸ τοῦ χείρονος ἀρξαμένη, τὸ δὲ ὑπεράνω πρόνοια μόνον.*

[10] *De Prou. et Fato*, c. III (ed. Cousin, col. 148).

secundum fatum, multo prius a prouidentia fieri; contrarium autem non iam uerum esse; summa enim totorum a prouidentia recta esse diuiniora fato." Et infra[1] "Sic igitur prouidentia quidem Deus per se, fatum autem diuina aliqua res et non Deus; dependet enim a prouidentia et uelut imago est illius. Etenim ut prouidentia ad intellectualia entium, sic fatum ad sensibilia; regnant enim, haec quidem super intellectualia, haec autem super sensibilia."

Et hactenus optime quidem illi. Immo laudat et ipse Augustinus[2] Plotinum, quod de prouidentia diuina pulcherrime loquatur. Attamen eorum doctrinam intimius perscrutanti plura occurrunt, eaque ad ipsum systematis ueluti fundamentum pertinentia, quae approbare Christiani nullo modo possint. Ipsis enim placuit Deum seu Vnum illud supremum mundo adeo antecellere, ut neque ipse hominibus per effectionem, neque homines Deo per cognitionem, nisi per quamdam entium interpositorum hierarchiam, coniungi ullo modo possent. Ex qua omnimoda Dei transcendentia (uti aiunt), sequitur nihil nos uere de ipso affirmare posse, ita ut Deo neque intellectus[3], neque libera uoluntas[4], neque ipsum demum esse[5], cum aliquid imperfectionis haec omnia secum ferant, recte attribuantur. Est enim Vnum uti aiebat Plotinus[6] "his omnibus prius" atque perfectius, ex quo entia inferiora uti Mentem, Animam, ipsam denique Materiam, ita promanare putabat ut quanto a primo principio quodque esset remotius, eo minus ipsum perfectionis haberet[7]. Quibus fundamenti instar positis, si iam quaesieris inter tot entium gradus ubinam prouidentia sit reponenda, respondebit tibi Plotinus non in Vno supremo esse prouidentiam, sed in Mente illa quae ab ente supremo procedit[8]; respondebit Proclus prouidentiam esse ante Mentem (*πρὸ νοῦ*), nec tamen in ipso Vno, sed in henadibus illis quas inter Vnum effinxit et Mentem, eam esse reponendam[9]. Hunc igitur, dum Deum esse prouidentiam[10] ait, nihil aliud quam unam ex istis henadibus, quas deos semper uocat, significare recte intellexeris.

[1] Cap. IX (Cousin, col. 158).

[2] *Ciu. Dei*, lib. X, cap. 14.

[3] Quod enim unum esset atque simplicissimum, illud intellegere nequaquam posse dicebant, cum in intellectu dualitas quaedam haberetur, intelligentis scilicet et intellecti. Cf. Plotin. *Enn.* V, 1, 9; V, 4, 2; VI, 9, 6.

[4] Nam et sui ipsius dominum esse secum fert dualitatem quamdam, quae est a summo ente amouenda. *Enn.* VI, 8, 12.

[5] *Enn.* VI, 8, 8.

[6] Ibid. *Πάντα γὰρ ἐκείνου καὶ τὰ καλὰ καὶ τὰ σεμνὰ ὕστερα. τούτων γὰρ αὐτὸς ἀρχή.* Quam antinomiam soluebant scholastici discrimine facto inter perfectiones puras et perfectiones mixtas. Illae, quae scilicet nihil imperfectionis *in essentiali earum conceptu* includant, Deo recte attribuuntur et uere, licet analogice. Cf. e.g. Aquin. *S. th.* I, q. 13, totam.

[7] Cf. praesertim, *Enn.* V, 1 et 2.

[8] *Enn.* III, 2, 1, coll. cum locis supra citatis.

[9] *Instit. Theol.* 120 seq.

[10] *De Prou. et Fato*, c. IX.

Molestissima sane et subtilitatibus implicatissima sententia, quam relinquere iucundum admodum est, ut Boethi doctrinam tam claram, tam perspicuam perpendendam suscipiamus.

Est igitur prouidentia, ait noster[1], "ipsa illa diuina ratio, in summo omnium principe constituta, quae cuncta disponit." Fatum autem nihil aliud esse dicit[2] quam dispositionem illam rebus a Deo inditam, ipsisque ueluti inhaerentem, qua ordo ille diuinus ad exitum deducitur. Neoplatonicis ergo consentit, dum fatum ponit a prouidentia distinctum atque dependens; ab iisdem tamen discedit dum hanc, non iam in Mente a Deo distincta, neque adeo in henadibus illis de quibus Proclus, sed in ipsa "summi principis" mente constituit, principis dico illius qui tamquam uerus sol, "quae sint quae fuerint ueniantque uno mentis cernit in ictu[3]." Sed neque sollicitus est ut fato certam inter tot Platonicorum entia inferiora sedem requirat; quinimmo subtilitates istas aegre se ferre ipse (ni fallor) ostendit dum ait: "Siue igitur famulantibus prouidentiae diuinis spiritibus fatum exercetur, seu anima, seu tota inseruiente natura, seu caelestibus siderum motibus, seu angelica uirtute, seu daemonum uaria sollertia, seu aliquibus horum, seu omnibus, fatalis series texitur, illud certe manifestum est etc." Veluti si dixisset parui admodum esse momenti quaestionem illam, in qua soluenda philosophi platonici tantum insudarent[4].

Neque uero Friderico Nitzsch equidem consenserim existimanti Boethium, Neoplatonicorum modo, fatum posuisse tamquam compagem, qua rebus mobilibus atque multiplicibus simplex Deus et infinitus quodammodo coniungeretur[5]. Boethius enim fatum concipit non iam uti substantiam quamdam mediam inter Deum et res, sed potius uti aliquid ipsis inhaerens rebus, quarum dispositio est, atque a Deo causata ordinatio. Non est igitur substantia fatum, sed relatio quaedam inter ipsas res exsistens[6]. Quam Boethi sententiam optime exponit Aquinas[7]: "Diuina prouidentia" ait "per causas medias suos effectus exsequitur; potest ergo ipsa ordinatio effectuum dupliciter considerari. Vno modo secundum quod est in ipso Deo: et sic ipsa ordinatio effectuum uocatur prouidentia. Secundum uero quod praedicta ordinatio consideratur in mediis causis a Deo ordinatis ad aliquos effectus producendos, sic habet rationem fati; et hoc est quod Boethius dicit in libro 4 de Consolatione: Siue famulantibus...."

[1] IV, pr. 6, § 7.
[2] Ibid. "Fatum uero inhaerens rebus mobilibus dispositio per quam prouidentia suis quaeque nectit ordinibus."
[3] V, m. 2, 10–13.
[4] Cf. Procli *De Decem Dubitationibus circa Prou.* (Cousin, col. 76–144).
[5] Op. cit. p. 62.
[6] Cf. Aquin. *S. th.* I, q. 116, art. 2, ad 3.
[7] Ibid. in corp.

Boethio quidem philosophorum de prouidentia et fato sententias discutienti praeierat iam Augustinus, qui in libro v *de Ciuitate Dei*[1] de hac re uberrime tractans, approbauit sententiam illam quam Boethius postea exposuit, ita tamen ut a nomine ipso "Fati," quod uulgo a paganis de siderum influxu necessitante adhiberetur, penitus ipse abhorreret[2]. Boethi tamen ingenio aptum magis uisum est ut nomini illi, apud magistros paganos tam usitato, orthodoxam ipse atque christianam subderet significationem.

[1] cc. 1–11.

[2] Ibid. cap. 1: "Quae si propterea quisquam fato tribuit qui ipsam Dei uoluntatem uel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat, linguam corrigat...." Et cap. 8: "Qui uero non astrorum constitutionem...sed omnium connexionem seriemque causarum, qua fit omne quod fit, fati nomine appellant; non multum cum eis de uerbi controuersia laborandum atque certandum est."

APPENDIX II

DE MUNDO PERPETUO

BOETHIUS, uti supra[1] iam dictum est, ad hoc ut aeternitatis Deo soli propriae notio magis patefiat, ab ipsa durationem illam distinguit perpetuam quam mundo huic et a Platone et ab Aristotele tributam fuisse ibidem docet[2]. Ipse tamen auctor perpetuum mundum diserte quidem neque affirmat nec negat; ita uero ut nihil prohibere quin mundus, etsi a Deo creatus, semper exsistere potuerit, opinari uideatur. Quam rem plures auctores[3] non recte adsecuti, ita loquuntur quasi Boethius eo ipso quod mundo initium explicite saltem non tribuat, Deum ideo neget creatorem. Quare opportunum uisum est ut de mundo perpetuo quid pagani, quid Christiani senserint, quasi summatim exponamus.

Et primum quidem est ut de ipsius Platonis sententia inquiramus; qui quid re uera senserit difficile admodum est intellegere. De rerum enim principiis non nisi opinando loqui nos posse putat[4]; unde factum est ut quae ipse de origine mundi mythica quadam et incerta ratione protulit, diuersum in modum ceteri inde philosophi interpretarentur. Attamen quidquid sit de materia illa platonica, de qua quaeritur utrum uti receptaculum quoddam, ubi ideae recipiantur, an uti massa quaedam chaotica unde mundus hic ordinatus ab artifice et fictus fuerit, ipsa sit accipienda—hoc saltem e *Timaeo* praesertim erui posse uidetur, mundum iuxta Platonem, uti nunc est, habuisse quidem temporis initium, numquam tamen esse defecturum. Ibi[5] enim distinguit Plato inter Ideam "quae semper est, nec unquam fit" et mundum, qui est "id quod semper fit, nec unquam uere est." Mundus quidem, ait, "factus est (*γέγονεν*), nam uisibilis est et tangibilis habetque corpus," nec aeternam ipsius ideam nisi imperfecte imitatur[6]. Habet igitur initium mundus, caret autem fine, nam "deus qui fecit eum, immortalem creauit et indeficientem[7]." Ibidem[8] autem distinctionem illam tradit, de qua Boethius, inter mundi cursum interminabilem Deique statum immobilem.

A qua Platonis sententia se discedere apertissime fatetur Aristoteles, dum mundum siue genitum esse unquam siue corruptum iri prorsus negat[9]. Initio enim caruisse inde praesertim deducit quod Deum,

[1] p. xli.
[2] V, pr. 6, §§ 4, 6.
[3] E.g. Nitzsch, op. cit. p. 52.
[4] *Tim.* 29 C.
[5] Ibid. 27 D seq.: *τί τὸ ὂν ἀεί, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον, καὶ τί τὸ γιγνόμενον μὲν ἀεί, ὂν δὲ οὐδέποτε;* 28 B: *(ὁ κόσμος) γέγονεν· ὁρατὸς γὰρ ἁπτός τέ ἐστιν καὶ σῶμα ἔχων....*
[6] 37 D.
[7] *Polit.* XVI (273 E): *θεὸς ὁ κοσμήσας αὐτὸν (τὸν κόσμον)...ἀθάνατον αὐτὸν καὶ ἀγήρων ἀπεργάζεται.* Cf. Aug. *Ciu. Dei*, X, 31.
[8] *Tim.* 37 E–38 A.
[9] Cf. *De Caelo*, I, 10–12 (Bekker, 280 A, lin. 30–32); ib. II, 1, § 1: *ὅτι μὲν οὖν οὔτε γέγονεν ὁ πᾶς οὐρανὸς οὔτ' ἐνδέχεται φθαρῆναι...ἀρχὴν μὲν καὶ τελευτὴν οὐκ ἔχων τοῦ παντὸς αἰῶνος* (283 B, lin. 26–29); *Metaph.* XI, 8; *Phys.* VIII, 1; *de Gen. et Corr.* II, 10; *Top.* lib. I, c. X.

cum immutabilis sit, ab aeterno omnia fecisse oporteat; unde eius sententiam ita refert Tullius[1]: "Neque enim ortum esse unquam mundum, quod nulla fuerit nouo consilio inito tam praeclari operis inceptio, et ita esse eum undique aptum, ut nulla uis tantos queat motus mutationemque moliri, nulla senectus diuturnitate temporum exsistere, ut hic ornatus unquam dilapsus occidat."

Sed saeculo iam primo post Christum non defuisse et inter Platonistas qui Aristotelem secuti, mundum dixerint aeternum, testis est nobis Plutarchus Chaeronensis, qui contra eosdem opusculum scribebat: "Περὶ τοῦ γεγονέναι κατὰ Πλάτωνα τὸν κόσμον[2]." Idem ipse in *De Animae procreatione*[3] actum fore dicit de Platonis sententia animam esse ante corpus, si mundus non inceperit, unde melius esse Platonem sequi dicentem "mundum a Deo sumpsisse initium... essentiam autem et materiam, ex qua factus sit mundus, non esse factam sed artifici semper praeiacuisse; non enim e nihilo esse genesim sed ex eo quod nec pulchrum esset nec perfectum[4]."

Neoplatonistas autem constat de hoc praesertim sollicitos fuisse ut Platoni in plerisque Aristotelem consentire ostenderent, unde eo deuenerunt ut sententiam aristotelicam mundum semper fuisse et Platoni communiter tribuerent[5]. Sic Plotinus[6] ubi de prouidentia diuina agit, mundum negat unquam incepisse, id quod et aliis in locis[7] pluries confirmat. Item Proclus, qui et Platonem idem docuisse uehementer affirmat. "Non aufert," ait[8], "Plato totius aeternitatem, uti putant nonnulli, aristotelicas secuti suppositiones; quod uerum esse inde facile est discere quod ipse tempus simul cum caelo factum dicit." Idem docebat Proclus in opere *De Aeternitate Mundi* (iam deperdito), quod Ioannes Philoponus ineunte saeculo sexto refutauit[9]. Simplicius demum, qui inter Neoplatonicorum saeculi

[1] *Academic. Priorum*, II, c. 38, § 119.

[2] Cf. Ueberweg, I, p. 549. Opus autem non exstat.

[3] IV–V (ed. F. Dübner, *Mor.* II, 1240–1241).

[4] Ibid. V: *τὸν μὲν κόσμον ὑπὸ θεοῦ γεγονέναι λέγειν καὶ ἄδειν...τὴν δ' οὐσίαν καὶ ὕλην, ἐξ ἧς γέγονεν, οὐ γενομένην, ἀλλὰ ὑποκειμένην ἀεὶ τῷ δημιουργῷ... οὐ γὰρ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος ἡ γένεσις, ἀλλ' ἐκ τοῦ μὴ καλῶς μηδ' ἱκανῶς ἔχοντος....*

[5] Vnus excipiendus uidetur Hierocles alexandrinus qui aperte dicit Deum, iuxta Platonem, mundum e nihilo creasse. (Photi Biblioth. cod. 251—P.G. CIV, 80 A.)

[6] *Enn.* III, 2, 1.

[7] *Ennead.* II, lib. I, c. 1: *Τὸν κόσμον ἀεὶ λέγοντες (ἡμεῖς) καὶ πρόσθεν εἶναι καὶ ἔσεσθαι σῶμα ἔχοντα....* Cf. et *Enn.* III, 7, 2 et 3.

[8] *Comm. in Tim.* II, ad *Tim.* 28 B, C (ed. E. Diehl, tom. I, p. 286, lin. 20–23): *οὐκ ἄρα ὁ Πλάτων ἀναιρεῖ τὴν ἀϊδιότητα τοῦ παντός, ὡς οἴονταί τινες ἀριστοτελικαῖς ὑποθέσεσιν ἀκολουθήσαντες· καὶ ὅτι τοῦτο ἀληθές, ῥᾴδιον καταμαθεῖν ἐντεῦθεν· τὸν χρόνον ἅμα τῷ οὐρανῷ γεγονέναι φησίν* (scl. *Tim.* 38 B).

[9] "Κατὰ τῶν Πρόκλου περὶ ἀϊδιότητος κόσμου ἐπιχειρημάτων." Ed. Hugo Rabe in Bibl. Teubneriana, 1899.

sexti ultimos adnumeratur, in commentariis[1] quos in Aristotelem, ut ipsi Platonem ostenderet concordem, scribebat, et istam de mundo perpetuo sententiam tuebatur. Cuiusmodi quidem studio, concordiam nempe adstruendi Platonem inter et Aristotelem, et Boethius noster motum se fuisse fatetur[2], unde quare et ipse utrique magistro eandem de mundo perpetuo sententiam attribuerit, quodammodo subintellegere uidemur.

Quod uero ad Christianos iam attinet, mundus incepisset necne, ne in mentem quidem uenire potuit ut quaererent, apertissime docente Scriptura in principio Deum creasse caelum et terram. Unde paganorum sententiae uti par erat semper refragati sunt, Origenemque Neoplatonicis in hac re assentientem uti haereticum reprobauere. Sed doctores orthodoxi non solum re ipsa incepisse mundum asserebant, sed nec ullo modo fieri posse autumabant ut aliquid creatum esset simul et perpetuum. Ita contra Arianos Verbum ideo esse Deum ostendebant, quod esse numquam incepisset[3]. Res creatas hoc ipso quod creatae essent, initium habuisse sententia fuisse uidetur et Augustini, qui in *De Ciuitate Dei*[4] ita: "Non tamen dubito nihil omnino creaturae Creatori esse coaeternum," etenim "tempus, quoniam mutabilitate transcurrit, aeternitati immutabili non potest esse coaeternum[5]." Id scilicet quod successiuum sit, incepisse, iuxta Augustinum, necesse est.

De quaestione ergo iam agitur uti patet pure philosophica, an scilicet mundum quem re uera incepisse fides edocet, initium necessario habuisse ratio humana ostendere possit. Lis de re nostra exagitari iterum incepit praesertim apud philosophos Arabes saeculo decimo primo. Mundus enim initium habuisset annon, tamquam indicem habebant Musulmani quo a ceteris orthodoxos diiudicarent[6].

Ita contra Auicennam aliosque philosophos aristotelicos mundum asserentes perpetuum Algazel, theologus musulmanus, Korani auctoritatem adducebat. Auerroistis deinde opposuerunt Musulmani orthodoxi argumenta philosophica, quibus ostendere se putabant nullo modo fieri posse ut initio mundus careret. Quibus quidem rem philosophice discutientibus nouam adhuc opposuit thesim Moses Maimonides, nullam scilicet nec Auerroistarum ut perpetuum, nec Musulmanorum ut inceptum aliquando mundum ostenderent, argu-

[1] *Commentaria in Aristotelem graeca, edita cons. et auct. Academ. lit. regiae borussicae*, Berolini, G. Reimer, tom. VII: Simpl. Comment. in *De Caelo* (ed. J. L. Heiberg, 1894); tom. IX–X: eiusdem in *Physic.* (ed. Herm. Diels, 1882, 1895).

[2] In Libr. *de Interpret.* ed. sec. lib. II (P.L. LXIV, 433 D).

[3] E.g. Athanas. *Orat. I, contra Arianos*, n. 29 (P.G. XXVI, 72); cf. *Orat. II*, ibid. col. 148, 193; Greg. Nyss. *Contra Eunom.* l. I (P.G. XLV, 364).

[4] Lib. XII, c. 16. [5] Ib. c. 15.

[6] Worms, *Anfangslosigkeit d. Welt bei d. mittelalt. arab. Philos.* (Beiträge Geschichte Philos. Mittel. III, 4), p. 268.

mentis uim inesse apodicticam. Mundum ergo a Deo creatum esse, ait ipse, non iam ratione, sed fide sola certo nouimus. Sed neque ipse, uti uidetur, inter haec duo distinguebat, mundum scilicet creatum esse, et mundum incepisse; putabat enim demonstrato illo et hoc necessario sequi, uel ut melius dicam, in illo hoc ita includi ut mente considerari seorsum non posset[1].

Dilucide demum Albertus Magnus quaesitum ponit: "Vtrum haec duo sint compossibilia secundum intellectum, scilicet quod mundus a Deo sit factus et tamen duratione hoc modo sit aeternus, quia duratio eius initium non habuerit," soluitque negando[2].

Sed ab his omnibus longe discedit Aquinas[3] cuius sententia his tribus absoluitur:

i. "Creatio non tantum fide tenetur, sed etiam ratione demonstratur."

ii. "Mundum incepisse est de numero eorum quae cadunt sub fide, non sub demonstratione"; et alibi, "Mundum non esse aeternum, non potest demonstratiue probari."

iii. Nec rationes illae quae ad mundum aeternum ostendendum adducuntur demonstratiuae sunt.

Inter tot sententias philosophicas quae uera sit diiudicare non est huius loci. E superioribus tamen elucet philosophos christianos nullum attulisse certum argumentum philosophicum quo mundum incepisse demonstrarent, ideoque nullam Boethio rem philosophice agenti causam fuisse ut Aristotelis denegaret sententiam. Vnde Aquinas[4] citato Boethio ostendit "quod...non sequitur quod quidam obiiciunt, scilicet quod creatura aequaretur Deo in duratione; et quod per hunc modum dicatur quod nullo modo potest esse aliquid coaeternum Deo, quia scilicet nihil potest esse immutabile nisi solus Deus."

Quinimmo mirum in modum in hac quaestione apparet Boethi sagacitas, qui perpetuum mundum neque affirmat—Christianus enim est—neque negat, cum ad negandum rationes philosophicae deficiant.

[1] Cf. omnino Anselm Rohner, O.P. *Das Schöpfungsproblem bei Moses Maimonides, Albertus Magnus u. Thomas von Aquin* (Beiträge Gesch. Phil. Mitt. XI, 5). Münster, 1913.

[2] Cf. Rohner, pp. 80–92.

[3] Cf. *S. theol.* I, q. XLVI, art. 2, corp.; *Contra Gentes*, II, 38; *In II Sent.* dist. 1, art. 5; *De Potentia*, q. III, art. 17. Opusc. XXIII: *De Aeternitate Mundi contra Murmurantes* (ed. Parm. 1865, tom. XVI, 318–320).

[4] *De Aeternitate Mundi contra Murmurantes* (ed. cit. p. 320).

APPENDIX III

PRAECIPUA QUAE DE BOETHIO HABENTUR TESTIMONIA

Ne uel unum desit legentibus quod praeberi possit subsidium, uisum est praecipua quae de Boethio monumenta habentur, seruato temporis ordine heic sub oculis ponere.

I. TESTIMONIA COAEVORVM

1. *Magnus Felix Ennodius* (473–521), cognatus Boethio, anno 510 aut 511 episcopus factus ticinensis.

Tres habentur eius operum editiones.
Migne, P.L. LXIII, 9–364.
CSEL. uol. VI: Magni Felicis Ennodii Opera omnia recensuit et commentario critico instruxit Gulielmus Hartel, Vindobonae, 1882.
Mon. Germ. Hist. auct. ant. tom. VII: Magni Felicis Ennodii Opera recensuit Fridericus Vogel, Berolini, 1885. (Heic opera numerantur ordine chronologico et reordinantur.)

Ep. vii, 13 (Ennodius Boetio): "Tu in me, emendatissime hominum, dignaris praedicare uirtutes, quem in annis puerilibus sine aetatis praeiudicio industria fecit antiquum, qui per diligentiam imples omne quod cogitur, cui inter uitae exordia ludus est lectionis assiduitas, et deliciae sudor alienus, in cuius manibus duplicato igne rutilat qua ueteres face fulserunt. Nam quod uix maioribus circa extremitatem uitae contigit, hoc tibi abundat in limine."
(P.L. LXIII, 119–120; CSEL. p. 181; MGH. no. CCCXVIII, p. 236.)

Paraenesis didascalia (Rhetorica): "Est Boetius patricius, in quo uix discendi annos respicis et intellegis peritiam sufficere iam docendi, de quo emendatorum iudicauit electio."
(P.L. LXIII, 254 B; CSEL. p. 409; MGH. no. CDLII, pp. 314–315. Scl. Opusc. VI: Ennodius Ambrosio et Beato.)

Ep. viii, 1 (Ennodius Boetio): "Vnus es qui utrumque [scl. scientiam et graecam et latinam] complecteris, et quidquid uiritim distributum poterit satis esse, auidus maximarum rerum possessor includis."
(P.L. LXIII, 132 B; CSEL. p. 200; MGH. no. CCCLXX, p. 268.)

Alia loca Ennodi sunt:
Ep. vii, 13: "praesumo me dicere parentem." (MGH. p. 236.)
Ep. vi, 6, ubi amicitiam profitetur Boethiumque laudat (MGH. pp. 217–218).
Ep. viii, 1, ubi gratulatur Boethio qui eo anno (510) fit consul, eumque multum laudans, orat ut sibi concedat aedem mediolanensem, "quo uultis genere." Ait "iustum est enim ut parentes uestri habeant quod de patrimonii mole descendit." (MGH. p. 268.)
Ep. viii, 37, ubi iterum postulat aedem quam Bo. promiserat.
Ep. viii, 40, ubi iterum de aede.
Ep. viii, 36, ubi dicit Boethium nimis se celare.

De *Epigrammate*, CXXXII (P.L. LXIII, 358 B–C; CSEL. p. 602; MGH. p. 249), disputatur an agat de Boethio nostro. Negat Murari (pp. 31–35); affirmat Hartmann (in Pauly-Wissowa, V, 597).

2. *Theodoricus* (c. 454–526), post interfectum Odoacrem (493), Rex Gothorum in Italia, cui scriba *Magnus Aurelius Cassiodorus Senator* (c. 480–c. 570), quaestor, magister officiorum, praefectus praetorio.

Cassiodori Variarum (scl. epistolarum) lib. XII, edidit Theod. Mommsen: *Mon. Germ. Hist.* auct. ant. XII (Berolini, 1894).
Apud Migne, P.L. LXIX.

Var. II, 40 (scripta c. 496, *uid.* Murari, p. 19); MGH. pp. 70–72; P.L. 570–573.

"Boethio patricio Theodoricus rex." Rogat ut Boethius celeberrimus tunc artis musicae cultor eligat citharoedum mittendum ad Clodoueum francorum regem.

Var. I, 45 (scripta c. 506, *uid.* Semeria, p. 15); MGH. pp. 39–41; P.L. 539–540:

"Boethio V. I. patricio Theodoricus rex." Rogat ut construat horologium Gundobaldo dandum Burgundorum regi.

§ 3. "Sic enim Atheniensium scholas[1] longe positus (*positas*, Obbarius, p. x, n. 8) introisti, sic palliatorum choris miscuisti togam ut graecorum dogmata doctrinam feceris esse romanam." Sequitur catalogus operum quae in latinam linguam Boethius uerterat.

Var. I, 10 (scripta c. 507–511 iuxta Mommsen; cf. Semeria, p. 14); MGH. pp. 18–20; P.L. 514–516.

"Boethio V. I. atque patricio Theodoricus rex." De mercede palatinorum iusta statuenda.

3. *Anecdoton Holderi* (c. 522).

Est fragmentum quod in fine MS cuiusdam inuenitur Cassiodori "Institutionum humanarum rerum." MS. est saeculi decimi e Reichnau, et in bibliotheca Magni Ducis badensis apud Karlsruhe nunc habetur. Inuenit Alfredus Holder ac primum edidit Hermannus Usener cum apparatu, anno 1877.
Titulus hic est: "Excerpta ex libello Cassiodori Senatoris...quem scripsit ad Rufium Petronium Nicomachum ex consule ordinario patricium et magistrum officiorum."
Documenti authentia haud dubitanda est. Praecipuum ex nomine "Petronius" desumitur argumentum. Nam nomen R. Petroni in fastis consularibus non occurrit; scimus autem nos ex papyro quodam rauennate, cuius ignarus fuit manuscripti exscriptor, nomen consuli huic fuisse R. Petronium Nicomachum *Cethegum*. Atqui in fastis consularibus nomen habetur Cethegi anno 504 consulis. Vnde ex-

[1] Ex his immerito coniecerunt nonnulli Boethium studiorum causa Athenas iuisse. Vid. supra, p. xiii, et cf. Obbarium, p. x, n. 8.

scriptorem illum authenticum Cassiodori prae oculis habuisse manuscriptum, praeclarum indicium habetur.
Sed de authentia huius scripti cf. Herm. Usener, *Anecdoton Holderi, ein Beitrag zur Geschichte Roms in ostgothischer Zeit* (Leipzig: Teubner, 1877). Textus habetur pp. 3–4. Auctor (p. 7) dicit scriptum anno 522 uel mox ante. Cf. et J. Dräseke: "Ueber die theol. Schriften des Boethius" (*Jahrb. für Protest. Theol.* XII, 1886), pp. 322–323; Semeria, pp. 114–120; Murari, pp. 148–150. Habetur Anecdoton et apud Mommsen, *Cassiodori Senatoris Variae*; *Mon. Germ. Hist.* auct. ant. XII (Berolini ap. Weidmannos, 1894, 4°), pp. v–vi.
Quae a Schepss obiiciuntur refutat Semeria, pp. 118–120.

"Symmachus patricius et consul ordinarius, uir philosophus qui antiqui Catonis fuit nouellus imitator, sed uirtutes ueterum sanctissima religione transcendit, dixit sententiam pro allecticiis in senatu, parentesque suos imitatus historiam quoque romanam septem libris edidit.

Boethius dignitatibus summis excelluit. Vtraque lingua peritissimus orator fuit, qui regem Theodorichum in senatu pro consolatu filiorum luculenta oratione laudauit. Scripsit librum de Sancta Trinitate et capita quaedam dogmatica et librum contra Nestorium. Condidit et carmen bucolicum. Sed in opere artis logicae id est dialecticae transferendo ac mathematicis disciplinis talis fuit ut antiquos auctores aut aequipararet aut uinceret."

4. *Liber Pontificalis.*

Iuxta Duchesne haec pars c. annum 530 composita est.
L. Duchesne, *Le Liber Pontificalis, Texte, Introduction et Commentaire*, 2 uol. (Bibliothèque des Écoles françaises d'Athènes et de Rome, 2e série.) Paris: Ernest Thorin, 1886–1892.
MGH. *Gestorum Pontificum Romanorum* tom. I, Berolini, 1898.

Ioannes I (523–526):

"Eodem tempore cum hi suprascripti, id est papa Iohannes cum senatores Theodorum excons., Agapitum excons. et Agapitum patricium defuncto Thessalonica et suprascriptos positos Constantinopolim, Theodoricus rex hereticus tenuit duos senatores praeclaros et exconsules, Symmachum et Boetium et occidit interficiens gladio. Eodem tempore reuertentes Iohannes uenerabilis papa et senatores cum gloria, dum omnia obtinuissent a Iustino Augusto, rex Theodoricus hereticus cum grande dolo et odio suscepit eos, id est papam Iohannem et senatores, quos etiam gladio uoluit interficere; sed metuens indignationem Iustini Augusti, quos tamen in custodia omnes adflictos cremauit, ita ut beatissimus Iohannes, episcopus primae sedis, papa, in custodia adflictus deficiens moreretur."

Duchesne, I, p. 276; MGH. p. 136.

5. *Procopius Caesariensis* (Προκόπιος Καισάρεως, ob. c. 562). De quo cf. K. Krumbacher: *Gesch. der Byzantinischen Litteratur*, ed. 2 (*Handbuch der klassischen Altertums-Wissenschaft*, IX, 1). München, C. H. Beck, 1897, pp. 230–236.

De Bello Gothico, I, cap. 1 (script. circa annum 550, iuxta Krumbacher):

Σύμμαχος καὶ Βοέτιος, ὁ τούτου γαμβρός, εὐπατρίδαι μὲν τὸ ἀνέκαθεν ἦστην, πρώτω δὲ βουλῆς τῆς ῥωμαίων καὶ ὑπάτω ἐγενέσθην ἄμφω. φιλοσοφίαν δὲ ἀσκήσαντε καὶ δικαιοσύνης ἐπιμελησαμένω οὐδενὸς ἧσσον, πολλοῖς τε ἀστῶν καὶ ξένων χρήμασι τὴν ἀπορίαν ἰασαμένω καὶ δόξης ἐπὶ μέγα χωρήσαντε ἄνδρας ἐς φθόνον τοὺς πονηροτάτους ἐπηγαγέτην. οἷς δὴ συκοφαντοῦσι Θευδέριχος ἀναπεισθεὶς ἅτε νεωτέροις πράγμασιν ἐγχειροῦντε τὼ ἄνδρε τούτω ἔκτεινε καὶ τὰ χρήματα ἐς τὸ δημόσιον ἀνάγραπτα ἐποιήσατο.

Symmachus et Boetius eius gener erant origine nobiles, primi in senatu Romanorum, consules ambo.

Uterque philosophiam nosse studuit, super omnes excelluit iustitia.

Multos iuuabant tum conciues tum alienos inopiam diuitiis leuantes; hinc magnam gloriam adepti agitauerunt quosdam uiros sceleratissimos ad inuidiam.

Theodoricus ab his calumniatoribus persuasus eos occidit utpote nouarum motores rerum, eorumque bona publico thesauro iussit adscribi.

Δειπνοῦντι δέ οἱ ἡμέραις ὀλίγαις ὕστερον ἰχθύος μεγάλου κεφαλὴν οἱ θεράποντες παρετίθεσαν. Αὕτη Θευδερίχῳ ἔδοξεν ἡ κεφαλὴ Συμμάχου νεοσφαγοῦς εἶναι. καὶ τοῖς μὲν ὀδοῦσιν ἐς χεῖλος τὸ κάτω ἐμπεπηγόσι, τοῖς δὲ ὀφθαλμοῖς βλοσυρόν τι ἐς αὐτὸν καὶ μανικὸν ὁρῶσιν, ἀπειλοῦντί οἱ ἐπὶ πλεῖστον ἐῴκει.

At post paucos dies Theodorico cenanti ministri adtulerunt magni piscis caput instar capitis Symmachi nuper truncati.

Etenim dentibus inferiori labro impressis, oculis toruis ac furibundis ei dire minari uisum est.

Περιδεὴς δὲ τῷ ὑπερβάλλοντι τοῦ τέρατος γεγονὼς καὶ ῥιγώσας ἐκτόπως ἐς κοίτην τὴν αὐτοῦ ἀπεχώρησε δρόμῳ, τριβώνιά τε πολλά οἱ ἐπιθεῖναι κελεύσας ἡσύχαζε.

Prodigio multum territus, horrensque uehementer Theodoricus statim ad cubile cucurrit, lectum adscendit, multa sibi imponi iussit pallia.

Μετὰ δὲ ἅπαντα ἐς Ἐλπίδιον τὸν ἰατρὸν τὰ ξυμπεσόντα ἐξενεγκὼν τὴν ἐς Σύμμαχόν τε καὶ Βοέτιον ἁμαρτάδα ἔκλαιεν.

Post haec omnia narrans quae facta erant Elpidio medico defleuit crimen in Symmachum et Boetium.

Ἀποκλαύσας δὲ καὶ περιαλγήσας τῇ ξυμφορᾷ οὐ πολλῷ ὕστερον ἐτελεύτησεν, ἀδίκημα τοῦτο πρώτου τε καὶ τελευταῖον ἐς τοὺς ὑπηκόους τοὺς αὐτοῦ δράσας, ὅτι δὴ οὐ διερευνησάμενος, ὥσπερ εἰώθει, τὴν περὶ τοῖν ἀνδροῖν γνῶσιν ἤνεγκε.

Rem lamentatus pressusque dolore mox obiit, qui hanc iniuriam primam et unicam in subditos egerat, quippe in hos uiros, causa praeter usum suum non audita, sententiam tulerat.

(Edidit Iac. Haury in serie teubneriana, 1905, tom. II, pp. 9–10.)

6. *Anonymus Valesianus* (saec. VI).

Sunt fragmenta haec primum edita ab Henrico Valesio (scl. de Valois) cum scriptis Ammiani Marcellini, Parisiis, 1636.
Fragmentum alterum (§§ 36–96), ubi ea narrantur quae inter annos 475 et 526 praesertim in Italia regnantibus Odoacre et Theodorico acta sunt, est pars annalium Rauennae saeculo sexto scriptarum, postquam haec ciuitas imperio restituta erat.

Anonymi Valesiani editiones:

Theod. Mommsen, *Mon. Germ. Hist.* auct. ant. tom. IX (Chronica minora I), Berolini, 1892, pp. 322–328.
V. Gardthausen, *Amm. Marcellini Rerum Gestarum libri qui supersunt*, Tb. 1874–5, II, pp. 302–3.
Robertus Cessi: in noua serie *Rerum Italicarum Scriptores*, tomi XXIV parte 4 *a* (Città di Castello, 1913, cum amplissimo apparatu).

§ 83. "Ex eo enim inuenit diabolus locum, quem ad modum hominem [nempe regem Theodoricum] bene rem publicam sine querela gubernantem subriperet. Nam mox iussit ad fonticlos in proastio ciuitatis ueronensis oratorium S. Stephani, idem situm altarium subuerti. Item ut nullus romanus arma usque ad cultellum uteretur uetuit.

§ 84. Item mulier pauper de gente gothica iacens sub porticu non longe a palatio Rauennae quattuor generauit dracones; duo de occidente in orientem ferri in nubibus a populo uisi sunt et in mari praecipitari, duo portati sunt unum caput habentes. Stella cum facula adparuit quae dicitur cometes splendens per dies XV, et terraemotus frequenter fuerunt.

§ 85. Post haec coepit aduersus romanos rex subinde fremere inuenta occasione. Cyprianus qui tunc referendarius erat postea comes sacrarum et magister actus cupiditate insinuans de Albino patricio, eo quod litteras aduersus regnum eius imperatori Iustino misisset, quod factum dum reuocitus[1] negaret, tunc Boetius patricius qui magister officiorum erat in conspectu regis dixit: "Falsa est insinuatio Cypriani; sed si Albinus fecit, et ego et cunctus senatus uno consilio fecimus. Falsum est domine rex."

§ 86. Tunc Cyprianus haesitans non solum aduersus Albinum sed et aduersus Boetium eius defensorem deducit falsos testes. Sed rex dolum romanis tendebat et quaerebat quem ad modum eos interficeret. Plus credidit falsis testibus quam senatoribus.

§ 87. Tunc Albinus et Boetius ducti in custodia ad baptisterium ecclesiae. Rex uero uocauit Eusebium praefectum urbis Ticini et inaudito Boetio protulit in eum sententiam. Qui mox in agro caluentiano ubi in custodia habebatur, misit rex et fecit occidi. Qui accepta chorda in fronte diutissime tortus ita ut oculi eius creparent, sic sub tormenta ad ultimum cum fuste occiditur."
(Ed. Mommsen, pp. 326–328.)

[1] Papebrochius (*Acta SS.* Maii VI, 698 A) "fortasse 'reus accitus.'"

7. *Marius episcopus Auenticensis* (Avenches in Burgundia), obiit c. 594. Scripsit chronicum rerum inter annos 455 et 581 gestarum.

Edidit Mommsen, MGH. auct. ant. XI (Chr. min. II), pp. 232 seq.
De Mario uid. M. Schanz, *Gesch. d. röm. Litt.* IV, pp. 114–115.

(Anno 524) "Iustino et Opilione, Ind. II....Eo anno interfectus est Boetius patricius in territorio mediolanense" (ed. cit. p. 235).

8. *Codex Florentinus* citatus a Iohanne Mabillon.

Iohannes Mabillon et Michael Germain, O.S.B., *Musaei Italici*, tom. I, pars i (= Iter Italicum), Parisiis, 1687, p. 221:
De Boetio eiusque libris *de Cons. Phil.* in ueterrimo codice Laurentianae apud Florentiam bibliothecae haec praemittuntur litteris Saxonicis: *Quintus Fabius Consul fecit hunc prologum: uel Boetius ipse, uel quidam Scottigena, id est discipulus Boetii.*

"Tempore Teotrici regis, insignis auctor Boetius claruit, qui uirtute sua consul in orbe fuit. Cum uero Teotricus rex uoluit tyrannidem exercere in urbe, ac bonos quosque in Senatu neci dare; Boetius eius dolos effugere gestiens, quippe qui bonis omnibus necem parabat; uidelicet clam litteris ad Graecos missis, nitebatur Vrbem et Senatum ex eius impiis manibus eruere, et eorum subdere defensioni. Sed postquam a rege maiestatis conuictus est, iussus est retrudi in carcerem; in quo repositus hos libros per satyram edidit, imitatus uidelicet Martianum Felicem Capellam, qui primus libros de nuptiis Philologiae et Mercurii eadem specie poematis conscripserat. Sed iste longe nobiliore materia et facundia praecellit, quippe qui nec Tullio impar sit, nec Virgilio in metro inferior floruit."

Habetur et apud Peiper, pp. xxx–xxxi.

II. TESTIMONIA RECENTIORIS AETATIS

9. *Paulus Warnefridus*, dictus *Diaconus* (ob. 799), scripsit *Historiam romanam* (al. *Historiam miscellam*) inter annos 766 et 771.

Edidit L. A. Muratori, *Rerum Italicarum Scriptorum* tom. I (Mediolani, 1723); hinc Migne, P.L. XCV, 739–1153.
H. Droysen in MGH. auct. ant. tom. II (Berolini, 1879).

Lib. XVI, c. 9: "Dum hi (scl. Iohannes papa I et ceteri quos misit Theodoricus Constantinopolim) in itinere demorantur Theodoricus rabie suae iniquitatis stimulatus Symmachum exconsulem ac patricium et Boetium senatorem et exconsulem catholicos uiros gladio trucidauit."

(Ed. Droysen, p. 219, lin. 4–5; P.L. XCV, 978 B–C.)

10. *Agnellus* seu *Andreas Rauennas* (c. 846).

Agnellus natus c. 805, dictus et Andreas, scripsit *Librum Pontificalem Ecclesiae Rauennatis*, tempore Gregori Papae IV (827–844). Liber terminatur post annum 846.

Edidit O. Holder-Egger in MGH., "Scriptores Rerum langobardicarum et italicarum saec. VI–IX." Hannover, 1878.

P. 304 (ad annum 525): "Simmachus et Boethius patricii Theodorico iubente carne propinqui ciuesque romani, cum securibus capitibus amputati sunt. Et Iohannes papa romanus post legationem de oriente cum Ecclesio episcopo Rauennae ductus, ab Theodorico coactus est et tamdiu detentus est, quamdiu mortuus, et infra carcere publico in arca marmorea sepultus est. Et supradicti patricii in alia arca sepulti sunt, quae permanet usque in praesentem diem."

11. *S. Ado Viennensis*, O. S. B. (ob. 875), scripsit *Chronicon* editum a Margarino de la Bigne in *Maxima Bibliotheca ueterum Patrum*, tom. XVI (Lugduni, 1677); hinc Migne, P.L. CXXIII, 23–138.

Aetate sexta: "Quo tempore Symmachum atque Boetium consulares uiros pro catholica pietate idem Theodoricus occidit."
(Max. Bib. XVI, 798; P.L. CXXXIII, 107 C.)

12. *Bruno Corbeiensis*, O. S. B., monachus Corbeiae nouae (nunc Corvey iuxta flumen Wiseram) in dioecesi paderbornensi, saeculo X, scripsit commentarium in *Cons. Phil.* III, m. 9, ad Bouonem episcopum.

Edidit Angelus Card. Mai in *Classicorum Auctorum e uaticanis codicibus* tom. III, pp. 331–345 (Romae, 1831).
Hinc Migne, P.L. LXIV, 1239–1246.

§ 3. "Quisquis illorum Boetii uersuum intelligentiam indagare cupit, quorum mihi expositionem tua sanctitas, uenerande praesul, iniunxit, imprimis admonendus est non solum in his uersibus, sed et in multis locis eiusdem operis quod Consolationis Philosophiae titulo praenotatur, quaedam catholicae fidei contraria reperiri; quod ideo mirum est quia libellum quemdam eiusdem auctoris de Sancta Trinitate ualde praeclarum legi, et alium contra Eutychen et Nestorium haereticos, quos ab eodem esse conscriptos quisquis aliis eius libris legendis operam impendit, ut ego ab adolescentia feci, ex ipso elegantis styli quodam proprio nitore indubitanter agnoscit. Quod tamen utcunque se habeat, certum est eum in his libris nihil de doctrina ecclesiastica disputasse, sed tantum philosophorum et maxime platonicorum dogmata legentibus aperire uoluisse" (P.L. XIV, 1239–1240).

Et infra, § 24, post expositos uersus usque 21:

"Pauci uero uersus qui restant expositione non indigent, quoniam in eis pura et aperta ad Deum oratio funditur. Fateor tamen uideri mihi quaedam in his uerba philosophorum redolere uenenum. Sed quoniam ea catholicae aures accipere et in meliorem partem interpretari solent, et ob hoc fidei non nocent, id gratanter accipio atque de his censeo reticere" (ib. 1246 D).

13. *Siluester Papa II* (Gerbertus, natus circa annum 940, Archiepiscopus rauennas 998, Papa 999–1003) scripsit epigramma ad

monumentum in honorem Boethi collocandum in bibliotheca Imperatoris Ottonis III anno 996:

> "Roma potens dum iura suo declarat in orbe
> tu pater et patriae lumen Seuerine Boeti
> consulis officio rerum disponis habenas,
> infundis lumen studiis et cedere nescis
> graecorum ingeniis, sed mens diuina coercet
> imperium mundi. Gladio bacchante gothorum
> libertas romana perit; tu consul et exsul
> insignes titulos praeclara morte relinquis.
> Nunc decus imperii summas qui praegrauat artes
> tertius Otto sua dignum te iudicat aula
> aeternumque tui statuit monumenta laboris
> et bene promeritum meritis exornat honestis."

(A. Olleris, *Œuvres de Gerbert, Pape sous le nom de Sylvestre II*, Clermont-Ferrand et Paris, 1867, pp. 294–295. Cf. Murari, p. 175.)

14. *Iohannes Saresberiensis* (natus inter 1110 et 1120, obiit 1180) dictus et Paruus (scl. nomine Short seu Little?), anglus natus Sarisburii, discipulus Petri Abaelardi et Gulielmi de Choncis, intimus S. Thomae cantuariensis, cui opus dedicauit *Policraticum*, cuius postea scripsit uitam. Anno 1176 episcopus factus carnutensis. Anteueniens antiquarum litterarum renouationi Iohannes iam saeculo XII probe ipsarum studium fouebat, maturus renatalium praecursor.

Magnum scripsit opus anno 1159; *Policraticum siue de nugis curialium et uestigiis philosophorum*. (Edidit I. A. Giles, Oxonii 1848; hinc P.L. CXCIX.)

Policrat. VII, 15: "Si michi non credis, liber *de Consolatione Philosophiae* reuoluatur attentius et planum erit haec in contrarium cedere. Et licet liber ille uerbum non exprimat incarnatum, tamen apud eos qui ratione nituntur non mediocris auctoritate est, cum ad reprimendum quemlibet exulceratae mentis dolorem congrua cuique medicamenta conficiat. Nec iudaeus quidem nec graecus sub praetextu religionis medicinae declinet usum, cum sapientibus in fide et in perfidia desipientibus sic uiuidae rationis confectio proficiat artificiosa, ut nulla religio quod miscet abhominari audeat, nisi quis rationis expers est. Sine difficultate profundus est in sententiis, in uerbis sine leuitate conspicuus, orator uehemens, efficax demonstrator. Ad id quod sequendum est nunc prolabitur suadens, nunc quasi stimulo necessitatis impellens."

(P.L. CXCIX, 672 B–C; Id. P.L. LXIII, 569 A–B.)

Textus uti supra desumptus est ex editione Clementis C. I. Webb, cui titulus:

Ioannis Saresberiensis episcopi carnotensis Policratici siue de Nugis curialium et Vestigiis Philosophorum libri viii. Recognouit Clemens C. I. Webb, A.M., Oxonii e typ. clarend. 2 tomi, 1909. Tom. II, pp. 155–156.

15. *Godofredus a Sancto Victore* (Godefroi, *al.* Geoffroy de Breteuil), subprior monasterii S. Barbarae in Algia (Sainte Barbe en Auge) dioeceseos lexouiensis. Anno 1173 factus canonicus S. Victoris parisiensis; obiit 1196. De eo cf. Casimiri Oudini *Commentarium de scriptoribus ecclesiae antiquis* (1722), II, 1566–1568; P.L. CXCVI, 1417–1422, ubi et fragmenta operum. Scripsit poema *Microcosmum*, quod seruatur iuxta Migne in bibliotheca S. Victoris. Videtur non esse editum.

Hinc citat B. Hauréau uersus:

"Assidet Boethius stupens de hac lite[1]
audiens quid hic et hic asserat perite
et quid cui faueat non discernit rite
nec praesumit soluere litem definite."

(B. Hauréau, *Histoire de la Philosophie scolastique*, Paris, 2 vol. 1872–1880, I, p. 120.)

16. *Gulielmus de Lorris*, c. 1230 scripsit poema *Roman de la Rose*, quod c. 1270 produxit Iohannes de Meun.

Versus 5033–5040:

"Mout est chaitis e fos naïs
qui creit que ci seit ses païs:
n'est pas vostre païs en terre,
ce peut l'en bien des clers enquerre
qui Boece, de Confort, lisent,
et les sentences qui la gisent,
don granz biens aus genz lais ferait
qui bien le leur translaterait."

(Ed. E. Langlois in serie, *Société des anciens textes français*, Paris, Firmin-Didot, 1920, II, 242.)

17. *Dantes Alagerius*, diuinus poeta (1265–1321).

Citatur nouissimus textus: *Le opere di Dante*. Testo critico della Società dantesca italiana a cura di M. Barbi, E. G. Parodi, F. Pellegrini, E. Pistelli, P. Rajna, E. Rostagno, G. Vandelli. (Firenze, R. Bemporad e Figlio, 1921.)

Convivio scripsit inter annos 1306 et 1308.

Conv. II, cap. xii (*al.* xiii), § 2. Post obitum Beatricis. "Tuttavia, dopo alquanto tempo, la mia mente, che si argomentava di sanare, provide, poi che nè 'l mio nè l' altrui consolare valea, ritornare al modo che alcuno sconsolato avea tenuto a consolarsi; e misimi a leggere quello non conosciuto[2] da molti libro di Boezio, nel quale, cattivo e discacciato, consolato s' avea" (p. 192).

[1] Lis scl. est de uniuersalibus inter Platonem et Aristotelem. Cf. supra, pp. xxxv, n. 2; 162, n. 29.

[2] "Das *conosciuto* ist hier vielleicht in einem engeren und höheren Sinne zu verstehen—in seinem vollen Sinn und Werth recht erkannt" (G. A. Baur, *Boethius und Dante*, p. 11, nota).

Conv. II, cap. xv (*al.* xvi), § 1: "Per le ragionate similitudini si può vedere chi sono questi movitori a cu' io parlo. Chè sono di quello movitori, sì come Boezio e Tullio (li quali con la dolcezza di loro sermone inviarono me come detto è di sopra, ne lo amore, cioè ne lo studio di questa donna gentilissima Filosofia), con li raggi de la stella piena di luce, la quale quella scienza dimostra" (p. 200).

In *Diuina Comoedia* (c. 1316–1321), in coelo solis, ubi sapientes, S. Thomas Aquinas declarat quae sint animae in fulgoribus primae quam uidet coronae. Duodecim sunt, inter quas octaua est Boethi: *Par.* x, 121–129:

"Or se tu l' occhio de la mente trani
di luce in luce dietro a le mie lode,
già de l' ottava con sete rimani.
Per vedere ogni ben dentro vi gode
l' anima santa che 'l mondo fallace
fa manifesto a chi di lei ben ode.
Lo corpo ond' ella fu cacciata giace
giuso in Cieldauro; ed essa da martiro
e da essilio venne a questa pace."

Vide et indicem alagerianum, infra, pp. 201–203.

18. *Christina de Pizan*, nobilis mulier in Insula Franciae, c. 1402, quae defuncto uiro scripsit poema uulgare: *Le livre du Chemin de long Estude.*

Vers. 202–208: Et lors me vint entre mains
un livre que moult amay,
car il m'osta hors d'esmay
et de desolacion:
c'iert de consolacion
Boece le prouffitable,
livre qui tant est notable

(et adhuc de Boethio usque lin. 302).

(Ed. Robert Püschel, *Le Livre du Chemin de Long Estude par Christine de Pizan*, publié pour la première fois...par Robert Püschel. Nouvelle édition. Berlin, August Hettler, 1887.)

19. *A. Laurentius Valla* (1405–1457). Anno 1431 presbyter ordinatus, 1437 Alphonsi V regis Aragoniae a secretis, 1447 scriptor apostolicus Romae, 1455 canonicus Basilicae Lateranensis. Scripsit *De elegantiis latinae linguae libros sex* (editio princeps, 1471) saepe iterum editos.

Cantabr.: *Laurentii Vallae de Linguae Latinae Elegantia libri sex*, ap. Eduardum Hall, 1688.

Lib. VI, cap. 34: In Boethium *de Persona* (pp. 519–521).

519. "Persona est (inquit Boethius) incommutabilis naturae indiuidua substantia, existimans se argumentatione collegisse, quare non sit qualitas, nec aliud praedicamentum ullum, sed

substantia. Sed huic homini romano ostendam romane loqui nescire....

521. ...Tales qualitates statuo in Deo et has dico esse personas, quae ab eo abesse non possunt, et qualitatem significare, non substantiam, ut Boethius uoluit, qui nos barbare loqui docuit."

Idem in *Dialogo de Libero Arbitrio* (Basileae apud And. Cratan, 1518) Boethium increpat quod philosophiae nimis confidat.

Ita fol. 12 *recto*: "Nam primum Paulus ait 'Non est uolentis neque currentis hominis sed miserentis Dei.' Boethius uero...colligit non quidem uerbis sed re, 'Non est prouidentis Dei sed uolentis ac currentis hominis." Et infra, fol. 12 *uerso*, quaerenti cur apud Boethium nulla fiat de Christo mentio, respondet Antonius "Opinor quod uehementior admirator philosophiae fuit," cui Laurentius "Optime opinaris...nam ita existimo nullum uehementiorem philosophiae admiratorem posse Deo placere."

20. *S. Antoninus* (1389–1459), O. P. Episcopus Florentinus, scripsit *Chronicon* seu *Summam historialem* (Opp. S. Antonini, Lugduni, 1586—"Diui Antonini...Chronicorum opus emendatum et auctum, atque annotationibus illustratum...opera et studio P. Maturi," tomi 3, fol.).

Partis II tit. XI, cap. 15 (tom. II, p. 193):

"De Boethio, qui et beatus Seuerinus a quibusdam dicitur, eo quod pro iustitia tuenda contra haereticos Arianos composuit librum de Trinitate, a Theodorico gothorum rege etiam Ariano, cum in Italia regnauit, incarceratus Papiae et interremptus est: licet non adscribatur in catalogo sanctorum, sicut plurimi alii qui fuerunt maximi meriti coram Deo, hominibus autem minus noti."

21. *A. Henricus Lorit dictus Glareanus* (1488–1563), natus in oppido Mollis prouinciae helueticae, cui nomen Glarus. Anno 1546 edidit Basileae opera Boethi cum praefatione. Cf. Bibliogr. p. 193.

Pagina 2, haec habet:

"Nam si id opus de duabus Christi Seruatoris nostri naturis, ac item de SS. Trinitate eius sunt, ut titulus praefert, nec stylus repugnat, qui factum est ut in opere illo *de Philosophiae consolatione*, quod ultimum eius existimant, cum toties occasio esset, ne semel quidem Christi mentio fiat? Erat in carcere optimus ille uir, dubius de uita. Tyrannus truculentus imminebat, tractabat de diuina prouidentia negocium arduum. Ibi de huius saeculi malicia, de fortunae instabilitate, de malorum hominum in hoc mundo imperio, per totum opus conquestus. Et scilicet non era in his Christus homini tam docto, uiro tam honorato ac pio uel semel nominandus? Christus inquam omnis patientiae exemplum longe maiores iniurias ab inimicis passus. Deus dominus creator a creatura cruci affixus, non erat ille inquam in hoc tam splendido, ut uideri uolunt, opere nominandus? Ego igitur, ut ingenue fatear

id quod res est (etsi scio quam magnam mihi moueam hac opinione inuidiam, et plus quam Camarinam, dicendum tamen est, quod animo sedet meo), mihi quidem magis philosophicum opus uidetur quam christianum, nec tamen indignum quod a Christiano homine legatur, sed indignum ut ab eo scriptum credatur qui ipsi Christo dato in sacro baptismate nomine ipsum antescriptis professus...etc. Longe maiorem gratiam habet carmen quam ieiuna illa prosa."

22. *Iulius Caesar Scaliger* (1484–1558), Paduae natus (pater Iosephi Iusti Scaligeri), scripsit *Poetices Libros VII*, Lugduni primum editos (1561, fol.).

Lib. VI *Hypercritici*, cap. V: "Boethii Seuerini ingenium, eruditio, ars, sapientia facile prouocat omnes autores, siue illi graeci sint siue latini. Saeculi barbaria eius oratio soluta deterior inuenitur, at quae libuit ludere in poesi diuina sane sunt. Nihil illis cultius, nihil grauius. Neque densitas sententiarum uenerem, neque acumen abstulit candorem. Equidem censeo paucos cum illo comparari posse. Valla docet eum latine loqui: at Vallam Boethius bene sapere."

(Ed. Heidelberg, 1617, p. 761.)

23. *Philippus Ferrari* (O. Seru. B. M. V.) saeculo XVII duos edidit catalogos sanctorum. Primus, quem dedicat Paulo V (1605–1621), continet nomina omnium sanctorum italorum. Alter, Vrbano Papae VIII dicatus, est series sanctorum quorum nomina martyrologio desunt romano. In utroque occurrit S. Seuerinus Boethius.

Ita secundus catalogus:

"Decimo Kal. Nouembris (= 23 oct.)...Ticini, S. Seuerini Boetii martyris sub Theodorico Gothorum rege." Notatur infra: "Ex. Tab. Ecclesiae Papien. hac die."

(*Catalogus generalis sanctorum qui in Martyrologio romano non sunt, ex uariis martyrologiis, kalendariis, tabulis, monumentisque ecclesiarum... auctore F. Filippo Ferrario, Ord. Seru. B. M. V....SS. Domino in Christo Patri D. Vrbano Papae VIII dicatus.* Venetiis, ap. Io. Guerilium, MDCXXV, p. 415.)

Cf. G. Bosisio, *Intorno al luogo del supplizio di Severino Boezio*, Pavia, 1855, p. 60; Daniel Papebrochius in *Actis Sanctorum*, Maii, tom. VI, ad diem 27, cap. iii, ed. 1866, p. 700.

24. *Gottfried Arnold* (1666–1714) anno 1699 scripsit *Unparteyische Kirchen- und Ketzer-Historie*. Prima editio facta est Frankfurti ad M., 1700–1715.

De Boethio haec habet:

"Man solte auch fast unter die Heyden rechnen den bekanten Severinum Boëthium, woferne ihm nicht einige Streitschrifften insgemein, wiewol ohne grund, beygelegt worden...Denn seine 5 bücher vom Trost der Philosophie zeigen nichts weniger als einen Christen an, indem kein periodus darin aus den Christlichen

principiis fleust, sondern lauter Heydnische trostgründe angeführt werden, die er doch in seinem gefängnüss kurtz vor seinem tode soll geschrieben haben, davon oben unter Theodorico gedacht worden....Ob er aber ein Heyde oder ein rechter Christe nach der ersten einfalt gewesen, mag der Leser selber aus seinen folgenden schrifften ersehen....[sequitur index operum philosophicorum] und ein hauffen bücher von Syllogismo und andere Logicalische grillen. Imgleichen das elende buch de disciplina Scholarium, dahero di Scholastici hernach so viel über seine bücher geschmieret haben, als Thomas, Albertus M. und andere. Wenn er nun nach diesen Heydnischen principiis und terminis aus diesen büchern die geheimnüss der Gottheit und Christi abgemessen hat, so mag wol eine elende Christliche lehre heraus kommen seyn, und er selbst mag bey seinem tode wenig kräfftigen trost empfunden haben."

(*Unparteyische Kirchen...*, Franckfurt am Mayn, bei Thomas Fritschens sel. Erben, 1729, 4 tomi. Theil I, Bd. VI, c. 3, § 7, tom. I, p. 286.)

25. *Heineccius* (*Johann Gottlob Heinecke*), 1681–1741. Professor Philosophiae in ciuitate Hallensi, scripsit *De Philosophis semi-christianis*. Est exercitatio V historica et philosophica in tomo II operum eius. Agit de Epicteto, Plotino, Porphyrio, Seneca, Plutarcho, aliis.

27. "Et Seuerinus Boethius huc referendus?

Ceterum quemadmodum paullo faciliores sunt qui Plutarchum gentilium numero eximere non dubitant, ita in alteram partem iniquiores uidentur qui Seuerinum Boethium scriptorem fatis suis nobiliorem e christianorum diptychis expungunt et his philosophis semichristianis accensent[1] nullo alio adducti argumento quam quod carceris taedia philosophando superare, animique aegritudini notissimum libellum de consolatione philosophiae opponere sustinuerit. Sed si hoc argumento uelis uti, multos profecto ex ecclesia eiicies uiros probos ac uere christianos qui et ea quae ratio suppeditat in iis calamitatibus non adspernati et carcere pro musaeo usi sunt[2]. Vnius positionem non esse alterius remotionem peruulgatus est philosophorum canon, quem negligere illi mihi uidentur qui ex hoc libello colligunt Boethium e sola philosophia, neglectis sacris oraculis, solatium petiisse. Sed non opus est uerbis quum tot Boethii opera theologica[3] satis declarent eum christianae ueritatis multo fuisse studiosissimum, et praeter libellum de consolatione exstet etiam alter, ad socerum de trinitate, quem non minus in carcere scripsit. Quo ipso totius argumenti quod Arnoldus Boethii christianismo opposuit neruus plane elanguescit."

(*Iohannis Gottlob Heineccii Opera Omnia nunc denuo edita multis-*

[1] Arnold in *Hist. Eccles. et Haeret.* saec. VI, 3, pag. 267.
[2] Vignol. Marville, tom. I, *Miscell. litter.* p. 365.
[3] Gul. Cave, *Hist. litt.* saec. VI, p. 274. I. A. Fabric. *Bibl. Latin.* III, 15, pp. 644 seq.

que accessionibus locupletata a filio J. C. G. Heineccio, IX tomi. Geneuae, 1765–1771.)

(Hic locus tom. II, pp. 221–222; et notae sunt Heineccii.)

26. *Johann Matthias Schröckh* (1733–1808) docuit historiam in uniuersitate Wittenbergensi. Scripsit *Christliche Kirchengeschichte*, 45 tomis (Leipzig, 1768–1813).

Tom. XVI (Leipzig, 1792), p. 118:

"Gleichwohl hat der Verfasser dieses Buchs nichts mehr als ein philosophisches Werk versprochen. Es ist sonderbar, zu fordern, dass in einem solchen das Eigenthümliche des Christenthums hervorschimmern soll; aber auch etwas unbillig, einen Schriftsteller nicht nach der Ansicht beurtheilen zu wollen, die er selbst deutlich als die seinige angegeben hat. Warum Boethius...gerade nur philosophische Trost-gründe für sein Unglück gewählt habe, lässt sich jetzt gar nicht mehr bestimmen. Aber unwürdig waren sie doch eines christlichen Gelehrten nicht. Es sind sehr nahe mit seiner Religion verwandte Gründe; es ist der letzte und edelste Erfolg seiner vieljährigen philosophischen Untersuchungen."

27. *Leo Pp. XIII* die 15 dec. 1883 sanxit cultum Seuerini Boethi in dioecesi ticinensi, ubi festum eius celebratur die 23 octobris.

Acta Sanctae Sedis in compendium opportune redacta et illustrata studio et cura Iosephi Pennacchi et Victorii Piazzesi, vol. XVI, Romae, S. c. de Prop. fide, 1883. Pp. 302–303:

[302] "Ex. s. Congregatione Rituum

Decretum

Papien. Confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti seruo Dei *Seuerino Boetio*, philosopho martyri sancto nuncupato.

Anicius Manlius Torquatus Seuerinus Boetius ex nobilissima inter Romanas Anicia familia progenitus, eximiae doctrinae laude floruit, sed multo magis Christianae pietatis studio extitit conspicuus. Diuitiis affluens pauperes ac miseros liberalitate et beneuolentia impense iuuit, philosophica et mathematica studia summopere coluit, theologicis quoque animum applicuit, de quibus disciplinis egregia etiam edidit uolumina. Quum tot tamque insignia uirtutis et ingenii argumenta praebuisset, primum a Theodorico Gothorum Rege, qui tum Italiae sortes moderabatur, in Senatorum Collegium cooptatus, dein ad supremum consulatus honorem euectus est. Hisce autem auctus honoribus Seuerinus Boetius, haud neglecto, quo fungebatur, munere reipublicae gubernandae, curas omnes ad bonum ecclesiae procurandum potissimum conuertit. Quare Theodoricus tanti Viri praestantiam demiratus, eum singularis beneuolentiae et aestimationis signis complecti non destitit. Verum quum Iustini senioris Imperatoris opera, res catholica in Arianorum perniciem reflorescerat, Rex Theodoricus qui eousque Catholicos humanissime tractauerat ratus regnum suum haud stabile fore nisi Catholicam Religionem ulterius promoueret, et

iustitiam in tuto collocaret, acerrimus, uti erat, Arianae haeresis sectator, ira efferbuit, et catholicam fidem subdolis artibus insectandam sibi proposuit. Idcirco tres praecipuos Catholici nominis proceres perdere deliberauit, nempe Ioannem primum Summum Pontificem, Symmachum Patricium et Seuerinum Boetium Consulem; his enim de medio sublatis, reliquos Catholicae fidei cultores animo facile deiectum iri arbitrabatur. Hinc regis imperio Ioannes Summus Pontifex comprehensus et Rauennam ductus, ibi in teterrimo carcere inedia aliisque aerumnis confectus obiit: Symmachus autem [p. 303] capite plexus est; et demum Seuerinus Boetius Ticinum deportatus ac in turri occlusus, gladio percussus occubuit. Eius uero corpus, ueritus iniquus Rex ne illi a Catholicis cultus exhiberetur, uti Martyri, clam tumulari praecepit. At paulo post Theodorico e uiuis erepto, ciues Ticinenses corpus Seuerini Boetii in Basilicam Beato Petro Apostolorum Principi dicatam, et nomine ad caelum aureum distinctam transferre, et honorifico sepulchro condere curarunt. Exinde sacras hasce exuuias, non secus ac Martyris, Catholici uenerari coeperunt; proindeque cultum Seuerino exhibitum ab eius obitu originem duxisse ex probatissimis monumentis satis euincitur.

Haec quidem iure meritoque permouerunt Ticinenses ciues aliosque plurimos, praesertim doctrina praestantes, ut huiusmodi cultus, ob eam, quam praefert, nobilitatem insignemque uetustatem, ab Apostolica Sede confirmatio postularetur. Quibus tandem uotis obsecundare maxime cupiens hodiernus Ticinensis Episcopus ordinaria potestate constructis processualibus tabulis de immemorabili eodem cultu affirmatiuam iuridicam sententiam dicere minime dubitauit, eamque supremae Apostolicae Sedis iudicio de more subiecit. Hinc postquam ea, quae a sa. me. Vrbani Papae VIII constitutione sancita sunt, rite praestita fuere, in ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis comitiis subsignata die penes Vaticanas Aedes habitis, Emus et Rmus Dominus Cardinalis Lucidus Parocchi, causae huius relator, sequens proposuit Dubium: *An sententia lata a Reuerendissimo Domino Episcopo Papiensi sit confirmanda in casu, et ad effectum de quo agitur?*

Eminentissimi porro et Reuerendissimi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurato examine perpensis, auditoque uoce et scripto P. R. D. Augustino Caprara, sanctae fidei promotore, rescribendum censuerunt: *Affirmatiue, seu sententiam esse confirmandam.* Die 15 Decembris 1883.

Facta postmodum de praemissis per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideli relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae ipsius Congregationis ratum habuit et confirmauit die iisdem mense et anno.

D. Card. Bartolinius S. R. C. Praefectus.

L + S Laurentius Salvati, S. R. C. Secretarius."

APPENDIX IV

BIBLIOGRAPHIA BOETHIANA

[Nota. Opera quae hoc siglo * designantur, saepe citaui adhibito solo nomine auctoris.]

I. IPSAE BIBLIOGRAPHIAE

Iohannis Alberti Fabricii *Bibliotheca Latina* (3 tom. 12mo, Hamburg, 1721–22), vol. III (= supplementum), pp. 189–218: "Index scriptorum aliorumque quorundam in operibus Boethii laudatorum ad paginas editionis Basileensis, 1570." Plura de Boethio, qui de eo scripserint, uersiones, editiones.

Schweiger (F. L. A.): *Handbuch der classischen Bibliographie*, Theil II (Lateinische Schriftsteller), Abth. I (Leipzig: Fried. Fleischer, 1832), pp. 27–38: "Boethius."

Bardenhewer (O.): *Patrologie* (Theol. Biblioth.) (Freiburg: Herder, 1894), pp. 587–589.

Chevalier (Ulysse): *Répertoire des Sources historiques du moyen-âge* (Paris, 1905), vol. I, coll. 623–625.

II. DE VITA BOETHI

Fontes Praecipuos relatos habes in Appendice III (supra, pp. 173–187). Accedunt opera sequentia:

*Sacci (Bernardi) *Historiae Ticinensis* libri X (quos scripsit anno 1557); eduntur in Joannis Georgi Graeui *Thesauro Antiquitatum et Historiarum Italiae* tomi III, partis I, col. 577–776 (Lugd. Batau. 1704). Lib. VII, cap. 18 (coll. 711–712): "De Boethio Seuerino."

*Breventano (Stefano): *Istoria della Antichità, Nobiltà, e delle cose notabili della Città di Pavia*, raccolta da M. Stefano Breventano cittadino pavese. In Pavia, appresso Hieronimo Bartholi, nelle Case di S. Pietro in Ciel' aureo, 1570. Fol. 82–83, de tumulo Boethi eiusque cultu.

Guallae (Iacobi) I. C. patritiique ticinen. *Historiae suae Patriae sanctuarii Papiae appellatae* libri sex. Papiae, ex offic. Hieron. Bartoli, 1587. Lib. IV, cap. 16 (pp. 84–85): "De Sancto Seuerino Boetio" (de sepulchro).

Caussin (Nicholas), S. I.: *La Cour Sainte* (Paris, 1645). 2e partie, tom. III, pp. 465–590: "Boèce." Sunt heic fere omnia ficta. Pp. 445–554 est adlocutio Boethi quam coram Theodorico in senatu habere fingitur.

Idem anglice; N. Caussin: *The Holy Court*, trans. by Th. Hawkins, Paris, 1626; London, 1638; London, 1650, etc.

Iterum, *A Voice from the Dead, or the Speech of an Old Noble Peer; being the excellent Oration of the learned and famous Boethius to the Emperour Theodoricus*. London; printed and sold by Richard Janeway, 1681. Est scl. oratio illa ficta de qua supra.

De his cfr. T. Hodgkin (op. infra, p. 190 cit.), III, note H, pp. 573–575: "Seventeenth century Literature about Boethius."

Gervaise (F.): *Histoire de Boèce Sénateur romain* (Paris: J. Mariette, 1715). Fuit hic praepositus ecclesiae S. Martini Turonensis et primus grauius conatus est uitam describere Boethi. Multos tamen admittit mythos. (Cf. Murari, p. 57.)
Reproducitur Migne, P.L. LXIV, coll. 1411–1592.

Cave (Gulielmi) *Scriptorum ecclesiasticorum Historia Literaria* (Oxonii, 1740, editio "nouissima"). Heic et index habetur opp. Boethi; tom. I, pp. 495–497.

Baronii (Caesaris) *Annales Ecclesiastici* ad ann. 526, §§ ix–xviii (ed. Lucae, 1741), tom. IX, pp. 352–355.

Mazzuchelli (Conte Giammaria): *Gli scrittori d' Italia*, vol. II, parte III (Brescia: G. Possini, 1762), pp. 1409–1426: "Boezio."

Muratori (L. A.): *Annali d' Italia dal principio dell' era volgare sino all' anno* 1750 (Luca, 1762–1770), tom. III (an. 401–600), pp. 245, 270, 292, 298–299.

*Tiraboschi (Girolamo), S.I.: *Storia della Letteratura italiana*, 13 vol. (Modena, 1771–1782), tom. III (1773), lib. I, cap. 4 (pp. 40–52); de Boethio et Symmacho. Fuit hic (1731–1794) "bibliotecario al serenissimo duca di Modena"; de eius opere ait Semeria (p. 8), "una delle cose migliori e più sensate che si siano scritte in Italia."

Barberini (B. A.): *Critico-storica esposizione della vita di S. Severino Boezio, patrizio, console, e filosofo celebratissimo* (Pavia: Stamp. del Monast. di S. Salv. 1782).

*Capsoni (Siro Severino), O.P.: *Memorie istoriche della regia città di Pavia* (Pavia, 1788), tom. III, pp. 90–112.

Schröckh (Johann Matthias), Prof. historiae Wittenberg: *Christliche Kirchengeschichte*, Theil XVI (Leipzig, 1792), pp. 99–121. Optime de Boethio. Cf. supra, p. 186.

Bon-Campagni (Cav. Carlo): *Notizie sulla vita di Severino Boezio e sulla storia dei suoi tempi.* Praelectio habita Aug. Taurin. 3 mart. 1842. "Memorie della reale Accademia delle Scienze di Torino," Serie II, tom. V: "Scienze morali storiche e filologiche" (Torino: Stamp. reale, 1843), pp. 1–37.

Suttner (J. G.): *Boethius der letzte Römer, Sein Leben, sein christliches Bekenntniss, sein Nachruhm* (Programm des Eichstätter Lyceums). Eichstätt, 1852.

Bosisio (G.): *Intorno al luogo del supplizio di Severino Boezio con un appendice intorno alla santità dello stesso Boezio* (Pavia, 1855).

Bosisio (G.): *Sull' autenticità delle opere teologiche di Boezio* (Pavia, 1869).

*Schenkl (Carl): Praelectio Vindobonae habita 28 Sept. 1858. "Verhandlungen der achtzehnten Versammlung deutscher Philologen, Schulmänner u. Orientalisten in Wien vom 25 bis 28 Sept. 1858" (Wien: C. Gerold's Sohn, 1859). Dritte allgemeine Sitzung, S. 76–92.

Puccinotti (Francesco): *Il Boezio, ed altri scritti storici e filosofici* (Firenze: Le Monier, 1864), pp. 1–141; de Boethio.

*Biraghi (L.): *Boezio teologo, filosofo, martire a Calvenzano milanese* (Milano: Bezozzi, 1865).

Acta Sanctorum, Maii, tom. VI (Parisiis et Romae ap. Victorem Palme, 1866), ad diem 27.

pp. 694–703: "De S. Ioanne Papa I mart. Rauennae enecto Romam reuecto Commentarius historicus, quo etiam agitur de Symmacho et S. Seuerino Boethio, Patriciis et Exconsulibus romanis." D.P. (= Daniel Papebrochius).

pp. 694–696: "Cap. I. Tempus et Acta Pontificatus atque legationis Constantinopolitanae."

pp. 696–699: "Cap. II. Symmachi et Boetii sub hoc tempus uexatorum laus; huius etiam captiuitas et scripta in carcere."

pp. 699–702: "Cap. III. SS. Seuerini Boetii et Ioannis Papae mors et cultus."

pp. 702–703: "Cap. IV. Symmachi caedes: Theodorici Regis infelix exitus."

Baur (G. A.): *Boethius und Dante* ("Zur Feier des Reformationsfestes") (Leipzig: A. Edelmann, 1873).

Bourquard (L. C.): *De A. M. S. Boetio christiano uiro philosopho ac theologo.* Parisiis et Andegaui, 1877.

*Usener (Hermann): *Anecdoton Holderi*; ein Beitrag zur Geschichte Roms in ostgothischer Zeit (Leipzig: Teubner, 1877).

Est opus maximi momenti. Cf. pp. 174–175.

Di Giovanni (V.): *Severino Boezio filosofo e i suoi imitatori* (Palermo, 1880).

*Hodgkin (T.): *Italy and her Invaders* (Oxford Clar. Press, vol. III, 1885), pp. 517–575. (Bk. IV, chap. xii: "Boethius and Symmachus.")

Teuffel (W. S.): *Geschichte der römischen Litteratur*, neu bearbeitet von Ludwig Schwabe. 5. Aufl. Leipzig: Teubner, 1890. § 478 (= Bd. II, 1230–1235).

*Stewart (H. F.): *Boethius; an Essay* (London: Blackwood, 1891). Vbi in plurimis auctor sequitur Nitzsch (op. cit. infra, p. 191). Sed cf. infra, p. 194.

Pfeilschifter (G.): *Der Ostgotenkönig Theodorich der Grosse und die Katholische Kirche* (Münster i. W.: Schöningh, 1896), pp. 169–184 (= 16). In serie: "Kirchengeschichtliche Studien" herausgeg. von Knöpfler Schrörs Sdralek, Bd. III, i u. ii Heft.

Hartmann (L. M.): "Boethius" in Pauly-Wissowa, *Realencyclopädie der classischen Alterthumswissensch.* (Stuttgart: J. B. Metzler, 1897). Fünfter Halbband, col. 596–600.

Sandys (J. E.): *A History of Classical Scholarship* (Camb. Univ. Press, vol. I, 2 ed., 1906), pp. 251–258.

Manitius (Max.): *Gesch. der latein. Lit. des Mittelalters* (Handb. der klass. Alt.-Wiss. IX), I (München: C. H. Beck, 1911), pp. 22–36.

*Cessi (Roberto): *Anonymus Valesius* a cura di; in *Rerum Italicarum Scriptores*....Nuova edizione, G. Carducci e V. Fiorini, tom. XXIV,

parte IV. Pp. cxxxv-clv, de uita et processu Boethi. (Castello: S. Lapi, 1913.)

Schanz (Martin): *Gesch. der röm. Litteratur* (Handb. der klass. Alt.-Wiss. VIII), IV, Teil II (München: C. H. Beck, 1920), pp. 148–166; ubi et bibliographia.

Cipolla (Carlo): "Per la storia del Processo di Boezio" in *Studi e Documenti di Storia e Diritto* (Roma, Tip. Propaganda, anno XXI, 1900), pp. 335–346.

*Murari (Rocco): *Dante e Boezio* (Bologna: N. Zanichelli, 1905). Optimus omnino liber, cui auctor huius libelli quam plurima accepta refert.

III. DE RELIGIONE BOETHI

Fere omnes libri supra citati tractant et de religione Boethi, sed praesertim consulendi sunt:

Arnold (Gottfried): *Unparteysche Kirchen- und Ketzerhistorie* (Franckfurt am Mayn, 1729), Th. I, Bd. VI, c. iii, § 7 (= tom. I, p. 286). Ipse negat Boethium esse Christianum. Cf. pp. 184–185.

Hand: articulus in *Hallesche Encyklopädie* von Ersch u. Gruber, 1823. Negat.

De Langsdorff (E.): "Theodoric et Boèce" in *Revue des deux mondes*, vol. XVII (1847), pp. 827–860; sub forma recensionis libri Marchionis du Roure, *Hist. de Théodoric roi des Ostrogoths* (Paris, 2 vols. 1846). Dubitat ipse de christianitate Boethi.

*Nitzsch (F.): *Das System des Boethius* (Berlin, 1860). Admittit B. specie tenus christianum fuisse. Valde dubitat de intima persuasione. De argumentis eius ait Usener (op. cit. p. 53): "Seine Gegengründe wesentlich dazu beigetragen haben mein noch an sich selbst zweifelndes Urtheil (B. scl. fuisse Christianum) zu befestigen."

Jourdain (Ch.): "De l'origine des traditions sur le christianisme de Boèce," in *Mémoires présentés par divers savants à l'Académie des Inscriptions et Belles-lettres de l'Institut Impérial de France*, Prem. série, tom. VI (Paris, 1860), pp. 330–360. Negat B. Christianum.

Iterum editur in *Excursions hist. et philos.*, uti infra, p. 194.

Baur (G. A.): *De A. M. S. Boethio christianae doctrinae assertore* (Darmstadt, 1861).

Bosisio (G.): *Sul cattolicismo di A. M. T. S. Boezio* (Pavia, 1867).

Prietzl: *Boethius und seine Stellung zum Christenthume* (Programm, Nr. 475) (Lobau, 1879). Affirmat.

Boissier (Gaston): "Le christianisme de Boèce," in *Journal des Savants*, Août, 1889, pp. 449–462. Optime iste de Boethio.

*Dräseke (Joh.): "Ueber die theologischen Schriften des Boethius," *Jahrbücher für Protestant. Theol.*, XII Jahrgang (Leipzig, 1886), pp. 312–333.

"Für mich" ait (p. 333) "ist die Streitfrage im Sinne Usener's endgültig entschieden."

*Hildebrand (A.): *Boethius und seine Stellung zum Christenthume* (Regensburg, 1885).

Solidissime quidem uindicat Boethi christianitatem; attamen plura forsan quam reuera insunt, christianae doctrinae indicia in libro nostro uidere se putat.

Scheid (N.), S.I.: *Die Weltanschauung des Boethius u. sein Trostbuch*, Stimmen aus Maria-Laach (Freiburg i/Br. Herder, Bd. 39 (= 1890), Theil 2, Heft 4, pp. 374–392).

*Semeria (Giovanni): *Il Cristianesimo di Severino Boezio rivendicato* (Roma: Tip. Prop. Fid. 1900). Extractum e periodico: *Studi e Documenti di Storia e Diritto*, anno XXI, pp. 61–178.

De quo opere ait Cipolla (op. cit. p. 335), "Sopra tutto l' esame del libro *de Cons. Phil.* è condotta con vera sagacia e con grande maestria (scl. a Semeria), così da doversi conchiudere che quel libro (*De Cons. Phil.*), lungi dal far dubitare del cristianesimo di Boezio, lo dimostri invece lucidamente." A quo quidem iudicio pauci admodum dissentient.

Graf (Arturo): *Roma nella memoria e nelle imaginazioni del Medio Evo* (Ristampa) (Torino: Loescher, 1915), cap. XVIII: "Severino Boezio," pp. 615–649. Dicit eum tantum nomine tenus Christianum.

IV. EDITIONES PRAECIPVAE HVIVS OPERIS ET COMMENTARII

Editio princeps: cum commentario Pseudo-Aquinatis (Nürnberg: A. Coburger), fol. 1476. Tholose (Ioh. Parix), fol. 1480. J. Koelhoff in Colonia, fol. 1482.

Deinde saepissime editus liber, fere semper cum commentariis. Inter hos ineptissimus comm. Thomae Aquinati falso olim adscribebatur. Videtur tamen esse cuiusdam Thomas Walleys, O. P. angli (sic "anglicus" fit "angelicus"), c. 1332. Cfr. Vallinum in *C. Phil.* III, m. ix, 13; Obb. p. 1; Peiper, p. xliv.

Gulielmo Cave (op. cit. II, Append. pp. 11–12) uidetur huius commentarii auctor esse Thomas Iorsius (seu Joyce), O.P. anglus (ob. 1310), anno 1305 Card. Episcopus Sabinensis a Clemente V creatus; auctor plurimorum operum quae, confusione facta inter "anglicum" et "angelicum," Aquinati olim tribuebantur.

Murmellius (Iohannes). Ed. Dauentriae in aedibus Alberti Pafraet, 1514. Fuit hic rector collegii apud Münster discipulus et amicus Erasmi.

Caesarius (Iohannes): *D. Seuerini Boethii uiri illustris de consolatione philosophiae libri quinque luculentissimis Iohannis Murmelii (partim etiam Rodolphi Agricolae) commentariis illustrati.* Coloniae ex officina Eucharii *Ceruicorni*, 1535.

Iterum *A. M. S. Boethii opp. omn.* cum comm. Murmelii et Agricolae (Basileae, 1570), tom. II, 891–1118 = *Cons. Phil.* Eorundem commentarii habentur apud Migne, P.L. LXIII, coll. 885–1073.

Lorit (Henricus) dictus Glareanus: *Anitii M. S. Boethi philosophorum et theologorum principis opera omnia*, cum praef. Henrici Loriti Glareani (Basileae, 1546). Cf. supra, p. 183.

Pulmannus (Theod.): *A. M. T. S. Boethii De Cons. Phil. lib. V. cum castigationibus T. Pulmanni*; accedunt eiusdem de Metris Boethianis libellus, et Enchiridion Epicteti (Lugduni, 1581).

Bernartius (Ioh.): *A. M. T. S. Boethii de Cons. Phil. lib. V. recensuit et comm. illustrauit Ioh. Bernartius* (Antwerpiae, 1604).

Sitzman (Theod.): *Anicii Manlii Torquati Seuerini Boethii de Consolatione Philosophiae libri V nunc denuo uariis lectionibus et notis illustrati a Theodoro Sitzmano Thuringo. Quibus subiunctus est et Theodori Pulmani de metris boethianis libellus* (Hanouiae ap. Cl. Marnium, 1607) (Notae in fine).

Vallinus (R.): *An. Manl. Seuer. Boetii Consolationis Philosophiae libri V; eiusdem opuscula sacra auctiora Renatus Vallinus recensuit et notis illustrauit* (Lugd. Batau., apud Franciscum Hackium, 1656). Textum sequuntur index, notae, uariae lectiones.

Bertius (P.): *An. Manl. Seuer. Boethii Consolationis Philosophiae libri V eiusdem opuscula sacra. Cum integris notis Iohannis Bernartii Theodori Sitzmani et Renati Vallini. Accedit Petri Bertii Praefatio* (Lugd. Batau., ex officina Hackiana, 1671).

Cally (P.): *Anicii Manlii Seuerini Boetii V. C. et inl. Excons. ord. Exmag. Off. atque Patricii Consolationis Philosophiae libros V interpretatione et notis illustrauit Petrus Callyus, Regius Eloquentiae et Philosophiae Professor in Academia Cadomensi, iussu Christianissimi Regis in usum serenissimi Delphini* (Lutetiae Parisiorum, ap. Lambertum Rouilland, 1680). Reproducitur haec editio:

Patrologiae cursus completus. Series latina accurante J. P. Migne, tom. LXIII (Parisiis, 1882), coll. 547–870. Ibidem, coll. 885–1074, commenta habentur Murmellii et Agricolae.

Vulpius (Io. Antonius). Ed. *Anicii Manlii Torquati Seuerini Boethii de Cons. Phil. libros V* (cum praef. P. Bertii, uita scripta a Martiano Rota, lib. Pulmanni de metris, hymnis Elpidi adscriptis) (Patauii excud. Iosephus Cominus, 1721).

Valpy (A. J.): *A. M. T. S. Boethii de Cons. Phil. libri quinque* (Londini, 1823). Textus est Vulpianus cum notis Callyi. Accedunt praef. Bertii, uita a M. Rota scripta, Pulmanni libellus de metris. Pars utilissima est pp. 421–558 ubi sunt notae uariorum; heic excerpta habes a Pulmanno, Bernartio, Sitzmano, Vallino, Bertio. In fine locus de Boethio extractus e Fabricii Bibliotheca Latina. Sequuntur catalogi editionum *Cons. Phil.* et uersionum (longe non completus) usque ad annum 1812 et codicum in Anglia seruatorum. Ditissimus index.

*Obbarius (Theod.): *Anicii Manlii Seuerini Boetii Philosophiae Consolationis libri quinque...recensuit et prolegomenis instruxit Theod. Obbarius* (Ienae, ap. Carol. Hochhausen, 1843).

Negat Boethium fuisse Christianum.

*Peiper (R.): *Anicii Manlii Seuerini Boetii Philosophiae Consolationis*

libri quinque; accedunt eiusdem atque incertorum opuscula sacra; recensuit Rudolfus Peiper (Lipsiae, in aed. B. G. Teubneri (Bibl. Script. Graec. et Rom.), 1871).

Optima quidem editio; attamen recte Nolte (op. cit. p. 87), "Sein Unternehmen lässt gar Viels zu wünschen übrig."

Stewart (H. F.): *Boethius, the theological Tractates with an English translation by H. F. Stewart, D.D., and E. K. Rand, Ph.D. The Consolation of Philosophy with the English translation of I. T.* (1609), *revised by H. F. Stewart* (London: W. Heinemann), The Loeb Classical Library, 1918.

Optime cl. Stewart heic de quaestione boethiana (in introductione).

De Commentariis ineditis Gulielmi de Conchis et Nicolai Triueti cf. Charles Jourdain: *Excursions historiques et philosophiques à travers le Moyen-âge.* Publication posthume (Firmin-Didot, 1888). II, pp. 31–68: "Des Commentaires inédits de...."

De Gulielmo de Conchis (de Conches), c. 1080–c. 1154, cf. *Kirchenlexicon* (Wetzer u. Welte, Freiburg, 1886), XII, 1599–1602; Hurter: *Nomencl. Liter.* (ed. 3, 1906), II, col. 104–105.

De Nicolao Triuetio (Triveth *al.* Traveth, anglo, 1258–1328), cf. Gul. Cave: *Script. eccl. hist. liter.* (Oxon. 1743), II, Append. p. 13; *Kirchenlexicon*, XII, 98; Hurter, op. cit. IV, 474.

V. DE COMPOSITIONE HVIVS OPERIS

Seruatus Lupus, abbas Ferrariensis (Ferrières, dioec. senonensis), an. 842–861: *Genera metrorum in libro Boetii*; habetur ap. Peiper, pp. xxiv–xxix.

*Nolte (Alb.): "Zu Boethius philosoph. consolat." in *Zeitschrift für die österreichischen Gymnasien*, ed. W. Hartel u. K. Schenkl, Jahrgang XXXI (1880) (C. Gerold's Sohn), pp. 87–90.

Schepss (G.): *Handschriftliche Studien zu Boethius Cons. Phil.* (Würzburg, 1881).

Zu Boethius. Commentationes Woelfflinianae (Leipzig, Teubner, 1891), pp. 275–280. Cf. supra, pp. vi, 175.

Bednarz (G.): *De uniuerso orationis colore et syntaxi Boethii*, Pars I (Dissertatio inaug.) (Vratislauiae, 1883).

De Syntaxi Boethii, Pars I (Progr.) (Striegau, 1892).

Hartlich (Paulus): "De Exhortationum a graecis romanisque scriptarum historia et indole" in *Leipziger Studien zur klassischen Philologie*, Bd. XI, Heft 2 (Leipzig, 1889), pp. 209–336.

Campini (Francesco), S. I.: *La Versificazione latina o Prosodia e Metrica latina completa* (Torino: G. Derossi, 1895).

Hüttinger (Henr.): "Studia in Boethii carmina collata" (*Programm zum Jahresber. über das k. Alte Gymnas. zu Regensburg*), Pars I (Ratisbonae, 1900), Pars II (ib. 1902).

*Engelbrecht (A.): "Die Consolatio Philosophiae des Boethius. Beobachtungen über den Stil des Autors und die Ueberlieferung

seines Werkes." *Sitzungsbericht der phil.-hist. Classe der k. Akad. der Wissenschaften*, Bd. 144 (Wien: C. Gerold, 1902), III, Abh. 3. Auctor de studiis Boethianis optime meritus.

Rand (E. K.): *On the Composition of Boethius' Consolatio Philosophiae*. Harvard Studies in Classical Philology, Harvard Univ., Cambridge, Mass., U.S.A. (Longmans), vol. XV, 1904.

Müller (Georg Anton): *Die Trostschrift des Boethius*. Beitrag zu einer literarhistorischen Quellenuntersuchung (Giessener Dissertation) (Berlin: Emil Ebering, 1912).

*Klingner (Fritz): "De Boethii Consolatione Philosophiae" (A. Kiessling u. U. v. Wilamowitz-Moellendorff: *Philologische Untersuchungen*, Heft 27) (Berlin: Weidmann, 1921).

VI. DE PHILOSOPHIA HVIVS OPERIS

*Zeller (Ed.): *Die Philosophie der Griechen in ihrer geschichtlichen Entwickelung* (Leipzig, 1881), Th. III, Abt. 2, pp. 856–864, de Boethio, quocum finit opus.

Prantl (Carl): *Geschichte der Logik in Abendlande* (Leipzig, 4 Bde, 1855–1870), I, 679–722, de philosophia Boethi.

Maurice (F. D.): *Moral and Metaphysical Philosophy* (Macmillan), 2 vol. ed. 2, 1872. Vol. I, pp. 423–450, sat bene de Boethio.

Hauréau (B.): *Histoire de la Philosophie Scholastique* (Paris, 2 vol. 1872–1880).

Taylor (Henry Osborn): *The Classical Heritage of the Middle Ages* (New York: Macmillan, ed. 3, 1911), pp. 51–56.
The Mediaeval Mind (Macmillan, 1911), pp. 89–93.

Praesertim autem cf.

Grabmann (Martin): *Die Geschichte der Scholastischen Methode* (Herder, Freiburg i/Br. 1909), vol. I, pp. 148–177: "Boethius der letzte Römer—der erste Scholastiker."

De philosophiae historia in genere:

*Ueberweg (Friedrich): *Grundriss der Geschichte der Philosophie*, ed. XI (Berlin, 1920).

Whittaker (T.): *The Neo-Platonists*, ed. II (Cambridge Univ. Press, 1918).

De Wulf (M.): *Histoire de la Philosophie Médiévale*, 4e édition (Louvain, 1912).

Alii quam plurimi qui in decursu operis citantur, quos heic enumerare et longum est et superuacaneum.

VII. VERSIONES HVIVS OPERIS

¶ *Italice*

De Versionibus italicis permulta habes apud Carlo Milanesi, *Il Boezio e l'Arrighetto* (Firenze: G. Barbera, 1864). Heic in praefatione (pp. lxxix–cv) adest catalogus codd. ms. in bibliothecis italicis seruatorum. Cf. et pp. xix–xxxi.

Antiquissima uersio italica est Cod. 1609, Bibl. Ricciardianae (Florentiae), quam exarauit ignotus quidam pisanus initio saec. XIV; est autem inedita.

Albertus della Piagentina, dictus Alberto Fiorentino, notarius florentinus, uertit *C. Phil.* anno 1332: *Della Consolazione filosofica, volgarizzamento di Maestro Alberto Fiorentino, co' motti de' filosofi e con una orazione di Tullio, volgarizzamento di Brunetto Latini* (Firenze, 1735). Eiusdem alia editio: *Volgarizzamento della Con. della filos. di Sev. Boezio fatto nel buon secolo della favella da M. Alberto Fiorentino, con i motti dei filosofi. Testo di lingua in questa prima impressione napolitana conferito col testo latino, e recato a miglior lezione con note da Michele dello Russo* (Napoli: F. Ferrante, 1856). Habetur haec uersio ap. Milanesi, op. cit. pp. 3–273. Cf. et Francesco Zambrini: *Le opere volgari a stampa dei secoli xiii e xiv* (ed. 4, Bologna: Zanichelli, 1884).

A. Tanzo: *Boetio di consolatione philosophica* (Milano per Augustino de Vicomercato, 1520); et postea saepe reedita (cf. Milanesi, p. xxii).

De aliis uersionibus Benedetto Varchi (Florentiae, 1550); Cosimo Bartoli (Ibidem, 1552); Ludovico Domenichi (Ibidem, 1550); cf. Milanesi, pp. xxii, xxviii, xxix.

Marchesa Teresa Venuti de Dominicis: *Boezio: De Consolatione Philosophiae, Versione* (ed. 2, Roma: Tip. dell' Unione coop. editrice, 1896).

Incipit I, m. 1:

"Io che cantai canzoni nel fiore dell' alacre ingegno
Vinto ahime! dal dolore flebili versi intuono."

Cf. et Mazzuchelli (op. supra, p. 189 cit.), pp. 1422–1433; Peiper, pp. liv–lv. Stewart (op. supra, p. 190 cit.), pp. 232–234.

¶ *Gallice*

De uersionibus gallicis antiquioribus optime omnino Stewart, op. cit. pp. 200 seq. Omnium prima esse uidetur Ioannis de Meun (c. 1300) de qua Stewart, pp. 200–206.

Gottfried Wilhelm Leibniz (1646–1715) gallice fecit paraphrasim compendiosam libr. I–II, *Con. Phil.* Habetur apud A. Foucher de Careil: *Lettres et Opuscules inédits de Leibniz* (Paris, 1854), pp. 265–273.

